UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 00296387 4

HANDBOUND
AT THE

UNIVERSITY OF
TORONTO PRESS

9260

Religionsgeschichtliche
Versuche und Vorarbeiten

herausgegeben
von
Albrecht Dieterich in Heidelberg und Richard Wünsch in Gießen

III. Band 2. Heft

De stellarum appellatione et religione Romana

scripsit

Guilelmus Gundel

ALFRED TÖPELMANN
(vormals J. Ricker'sche Verlagsbuchhandlung)
GIESZEN 1907

Für Großbritannien und seine Kolonien:
WILLIAMS & NORGATE, 14 Henrietta Street, Covent Garden, LONDON W. C.
Für Amerika: G. E. STECHERT & Co., 129—133 West 20th St., NEW YORK

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

I. Band

ATTIS

seine Mythen und sein Kult

von

Hugo Hepding

1903 VIII u. 224 Seiten ℳ 5.—

Ce travail est un excellent début pour les *Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten* publiés sous la direction de M. M. Dieterich et Wünsch. L'auteur a réuni tous les texts littéraires et épigraphiques relatifs à Attis, et, se fondant sur cette collection de matériaux, il expose les diverses formes du mythe, dont l'amant de Cybèle est le héros, l'histoire du culte phrygien en Asie, en Grèce et à Rome, et il insiste en particulier sur la constitution des mystères et la célébration des tauroboles. L'auteur est au courant de toutes les recherches récentes sur le sujet qu'il traite, mais il ne se borne pas à en résumer les résultats, il fait souvent des trouvailles heureuses et expose des idées personnelles avec une clarté qu'on souhaiterait trouver toujours dans les études d'histoire religieuse. Bien que je ne partage pas certaines de ces idées (ainsi il considère encore l'inscription d'Abercius comme païenne), son ouvrage bien conçu et bien rédigé me paraît être une excellente contribution à l'histoire du paganisme romain. Il aurait sans doute gagné encore en valeur s'il avait utilisé davantage les monuments figurés, et si, au lieu de séparer Attis de la Magna Mater, il avait considéré dans son ensemble le culte phrygien, mais il est toujours injuste d'exiger d'un auteur plus quil n'a voulu donner.

Franz Cumont in der Revue de l'instruction publique en Belgique.

. . . Mr. Hepding has done his work very thoroughly. He has collected and arranged in chronological order — and this order is very valuable and indeed indispensable when we consider the changes which time and the approximation to other cults produced — all the information which ancient literature from Herodotus to Gregory of Tours gives us upon the Attis cult. He has also collected the evidence from inscriptions. He has a careful chapter on the various names given to Attis. He trace the changes in the Attis myth, and describes the Attis cult. And he has a suggestive chapter on the relations of the cult to the Mysteries and to the Taurobolia. Altogether the book is a very helpful contribution to our knowledge of what underlay that pagan Syncretism which confronted Christianity from the first to perhaps the fifth century.

T. M. Lindsay (Glasgow) in The Expository Times.

. . . Es ist ein nicht begründetes Urteil, daß Stoffe wie dieser von Anfängern nicht behandelt werden sollten. Nicht nur nimmt schon die Zusammenbringung eines doch immerhin sehr reichhaltigen Materials dem folgenden Bearbeiter einen großen Teil der Arbeit ab, sondern der Verf. selbst hat bereits eine Reihe sicherer oder sehr wahrscheinlicher Kombinationen aufgestellt... Eine ganze Reihe derartiger Feststellungen könnte ich anführen; ich unterlasse es, weil niemand, der sich über Attis unterrichten will, das Buch Hepdings ungelesen lassen darf.

O. Gruppe (Berlin) in der Berliner Philologischen Wochenschrift.

Fortsetzung auf der 3. Umschlagseite.

Bitte den anhängenden Verlagsbericht zu beachten.

BL 25 R37 Bd 3 Heft 2

699098

De stellarum appellatione et religione Romana

scripsit

Guilelmus Gundel

GISSAE
IMPENSIS ALFREDI TOEPELMANNI
MCMVII

RELIGIONSGESCHICHTLICHE VERSUCHE UND VORARBEITEN

herausgegeben

von

Albrecht Dieterich in Heidelberg und Richard Wünsch in Gießen

III. Band 2. Heft

699098
10.4.59

Totius operis conspectus

Prooemium . . . . . pag. 1

Caput primum. De stellis singularibus

§ 1 De Veneris stella 7

§ 2 De stella canicula 33

§ 3 De Arcturi stella 48

Caput secundum. De sideribus

§ 1 De septentrionibus 59

§ 2 De iugulis 83

§ 3 De vergiliis 92

§ 4 De suculis 101

Caput tertium. De stellis in universum, de stellis cadentibus et cincinnatis, nec non de via lactea

§ 1 De stellis in universum 108

§ 2 De stellis cadentibus 138

§ 3 De stellis crinitis 141

§ 4 De via lactea 149

Conclusio 154

Addenda 157

Index 158

Prooemium

Quaerentibus qualis cultus qualisque humanitas alicuius populi fuerit non parvi momenti ea sunt, quae ab eius nationis hominibus cogitantur et dicuntur de stellarum vi atque natura. Quod reputans Romanae quoque gentis indolem fortasse melius intellectum iri ratus sum, si breviter quaesivissem, quales cogitationes Romani de stellis habuissent, quo modo singulae opiniones primitus ortae, paulatim tritae, denique neglectae novisque repressae essent.

Haud ita paucis negotiis homines commoventur, ut stellas observent; imprimis agricolae viatores nautae milites caelum astriferum perlustrant atque singula, quae in globo caelesti praeter cetera elucent, enotant, quo certius suo tempore aut officia exequantur aut itinera dirigant. Cum vero stellae et sidera lucidissima cursu suo his ipsis hominibus maximi momenti fuerint, dubium non est, quin iam antiquitus ipsi singula propriis cognominibus suo quisque more exornaverint, ita ut eiusdem stellae aliud cognomen fuerit nautarum, aliud agricolarum. Neque tamen huius cognominum varietatis ullum apud Romanos vestigium, quae est memoriae illorum condicio, remansit. Nam cognomina Romana omnium eadem fuisse in usu ex testimoniis infra allatis patebit, quo fit, ut nusquam diversae eiusdem sideris appellationes eodem tempore viguisse a diversis hominum generibus adhibita appareat. At alia notanda est differentia, quae interest inter ea quae a populo et ea quae a poetis doctisque alienigenas imitantibus usurpantur. Itaque si de stellarum cognominibus et religionibus Romanis quaestionem

instituimus, primum est, ut ex tota testimoniorum farragine secernamus ab externis ea, quae omnino apud populares in usu fuerint cottidiano. Sed haec separatio non facile fiet ideo, quod antiquitus tanta fuit Graecorum auctoritas, ut Graecae appellationes interdum vel antiquas Latinas exstinxerint vel earum originem valde obscuraverint. Nam ut aliis doctrinis ita matheseos arte Graeci permultum Romanos superabant et scientiam astronomicam, quam multo ante Romanos scriptis celebrabant, eos docuerunt. Cum doctrinis vero peregrinis etiam permulta Graecorum nomina viri docti apud Romanos pervulgaverunt, ita ut nobis saepius Graeca cognomina nobiliorum stellarum occurrant, quibus omnino paria Romana desunt. Neque vero tantum valuit Graecorum auctoritas, ut Romanae et opiniones et appellationes plane ubique repressae sint. Immo tot et siderum et stellarum lucidissimarum inveniuntur appellationes antiquae atque tot locis a scriptoribus ad priscas ipsius populi sententias alluditur, ut non indignum putaverim eam materiem hac ipsa dissertatiuncula quae est de stellarum religione atque appellatione Romana colligere.

Quo in opere conficiendo secundum ea, quae modo dicta sunt, acturus meum putavi singulorum, quae primo obtutu in caelo astrigero apparent, nempe astrorum, siderum, stellarum cadentium atque crinitarum, viae lacteae nomina prisca Romana colligere atque illustrare, unde orta et quomodo usurpata sint singulis saeculis, quaeque cum illis coniunctae fuerint opiniones. Hoc loco difficultatem, quam supra attigimus, nos praebent poetae. Nam licet multi eorum plurimis locis eas significationes usurpent quas ei qui sermone pedestri utuntur vere Romanas, tamen extant inter eos Graecorum imitatores, Ovidium dico, Vergilium Statium Martialem alios qui carmini latino peregrinas voces inserere non dubitaverint, quo speciosius carmina exornarent. Quo fit, ut Graeca prorsus neglegere mihi non licuerit, quippe quae e poetarum carminibus plus semel late in sermonem Latinum se propagaverint. Tamen ut vetustissimas easque populares significationes eruamus, ad eos certius recurremus, qui oratione soluta usi Graecum ornatum respuerunt et genuina nobis servaverunt. Atque hi ipsi velut Varro Cicero Seneca Plinius nonnumquam dicendi ratione indicant,

nomina illa non suis ipsorum temporibus viguisse, sed ad cascam antiquitatem redire. Utque ex illis singulorum fata ad finem perducerem, quaesivi, quamdiu floruerint vetustissimae Romanorum significationes, quae hic illic inter gentes a Latinis oriundis hodie quoque vigent. Quarum stellarum ut nomina illustrarem, addidi virorum doctorum et veterum et recentiorum interpretationes; ut opiniones explanarem, recurri ad aliarum gentium religiones persimiles.

Ut hac nostra aetate plurimi mortales perpaucas solum stellas noverunt et appellant, ita Romani quoque paucas propriis nominibus discreverunt. Plautus enim, sermonis popularis studiosus amator, uno loco fere omnia stellarum nomina nuncupat, quae tunc Romanis nota erant. Dicit enim Amph. v. 272 sqq.:

> credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium,
> nam neque se *septentriones* quoquam in caelo commovent
> nec *iugulae* neque *vesperugo* neque *vergiliae* occidunt.

Quae nomina vere Romana esse eo arguitur, quod cum earundem stellarum appellationibus graecis nihil commune habent. Sed non solum vesperuginem, verum etiam luciferum novisse atque appellasse Latinos nemo neget, qui apud Ennium vetustissimum nomen iubaris legerit. Sucularum quoque sidus inde ab antiquissimis temporibus appellatum atque observatum fuisse grammatici docent, quod item valet de stella caniculae: cuius rei testimonia infra afferemus.

Quae cum ita essent, de his quae modo enumeravi sideribus sermo mihi faciendus erat. Rem sic institui, ut primo capite de singulis stellis dissererem duabus paragraphis agens de lucifero et vespero atque de canicula. His adieci de arcturo tertiam, licet sideris notionem et nomen aliunde acceperint Romani, quoniam eius saepissime mentio fit vel a scriptoribus rei rusticae. In capite secundo ex ordine singula tractavi sidera, septentriones dico, iugulas vergilias suculas.

Sed quaerendum est, noverintne Romani zodiaci qui vocatur signa propriis vocabulis discreta. Quod negabimus perlustratis nominibus, quae his signis tribuebantur quaeque omnia ad Graecorum exempla ficta sunt. Quin etiam Tauri signum

postea confundebatur cum vergiliis suculisque, unde Tauri significationem primitus alienam neque umquam plane acceptam esse apparet. Immo quin nomina zodiaci sexto a. Chr. n. saeculo a Chaldaeis in Graeciam translata Romanis postea a Graecis tradita sint, non est dubium. Quare de his zodiaci signis tamquam peregrinis omisi disserere; quod si quis quaerit adeat H. Ideler: *Untersuchungen über den Ursprung und die Bedeutung der Sternnamen*, Berolini 1804 pag. 132 sequentes, A. Bouché-Leclercq: *L'astrologie grecque*, Paris 1899 pag. 53 sqq.

Praeter zodiacum et planetae excepta Veneris stella priscis Romanis ignotae erant. Unus qui contra dicere videatur Vergilius est, qui Georg. I 335 rusticos moneat, ut planetas observent. Sed eum Graecos secutum esse et Graeco πλανητῶν nomine et eo demonstratur, quod non ut stellae vere Romanae ad unam omnes e rebus terrestribus sunt cognominatae sed e deorum nominibus. Immo erronum quoque notio serius tandem a Graecis ad Romanos pervenit, qui illis secundo fere a. Chr. n. saeculo suas indiderunt appellationes. Neque Graecos primos planetas observasse, immo iam multis saeculis antea Chaldaeos satis notum est. De his stellarum erraticarum fatis relego te ad viros doctos Fr. Hommel in eph. *Ausland* 1891 pag. 223, 382; Tröels-Lund *Himmelsbild und Weltanschauung* Leipzig 1900 pag. 23, 29, 32 sqq.; A. Bouché-Leclercq l. c. pag. 63 sqq.; E. Maass *Tagesgötter* passim. Quae cum ita se habeant, cogitari nequit Romanos olim stellarum errantium proprias habuisse notiones a Chaldaeis Graecisque repressas. Quare errones quoque praeter Venerem silentio praetermisi.

Sed omissis zodiaco et planetis restabat, ut de reliquis luminibus a Romanis in caelo observatis agerem. Quorum solem et lunam consulto non recepi, ne infinita cresceret materies. Sed de stellis cadentibus, de crinitis nec non de via lactea nonnulla congessi, qua occasione data de stellis quoque in universum disserendum erat. Hanc materiem tertio capiti seposui, cui brevem addidi conclusionem, qua absolveretur materia et summa totius opusculi uno conspectu colligeretur.

In singulis tractandis uberior fortasse legentibus visus

sim, ubicumque veterum testimonia proferam. Sed cum adhuc nullus extet liber, quo fusius gravissimarum apparitionum caelestium opiniones et nomina et epitheta apud Romanos obvia collecta sunt, conatus sum quam plurima exempla a Romanis usurpata congerere, e monumentis orationis et solutae et vinctae petita usque ad scriptorum ecclesiasticorum initia. Auctorum autem quos adhibui, inspexi eas editiones, quae in Indice librorum a Fr. Vollmer in usum Thesauri linguae latinae anno 1904 composito enumerantur. Testimonia quae ex lapidibus collegi, protuli ad Corporis inscriptionum Latinarum volumina et numeros. Recentiorum librorum qui minoris momenti mihi fuerunt suo loco infra notatos invenies, uberiorem autem usum feci horum librorum:

Henricus Decimator Giffhornensis: *Libellus de stellis fixis et erraticis non tantum astronomis, verum etiam iis qui in scribendis se versibus exercent utilis.* Magdeburgi 1587.

P. Joannes Baptista Riccioli: *Almagestum novum astronomiam veterem novamque complectens.* Bononiae 1653.

L. Ideler v. supra p. 4.

Buttmann: *Über die Entstehung der Sternbilder auf der griechischen Sphäre, Abh. der Kön. Akad. der Wiss. zu Berlin 1826 philos. Klasse* p. 19 sqq.

A. Bouché-Leclercq v. supra p. 4.

Joannes Vossius: *Etymolog. linguae latinae,* Amstelodami 1662.

Th. Benfey: *Griechisches Wurzellexicon,* Berlin 1839.

A. Vaniczek: *Griechisch-lateinisches etymologisches Wörterbuch,* Leipzig 1877.

L. Döderlein: *Latein. Synonyme und Etymologien.*

A. Friedr. Pott: *Etymologische Forschungen auf dem Gebiete der indogerm. Sprache*[2], Detmold 1859—1876, I—VI.

Otto Keller: *Latein. Volksetymologie und Verwandtes,* Leipzig 1891.

eiusdem: *Tiere des klass. Altertums in culturgeschichtlicher Beziehung,* Innsbruck 1887.

J. Grimm: *Deutsche Mythologie, vierte Ausgabe besorgt von* Elard Hugo Meyer, vol. I—III, Berlin 1875.

F. Piper: *Mythologie und Symbolik der christlichen Kunst*, I. II. Weimar 1851.

J. B. Carter: *Epitheta deorum quae apud poetas latinos leguntur*, Lipsiae 1902 (W. H. Roscher *Ausführl. Lex. der Griech. und Röm. Mythol. Supplementum*).

Hoc Carteri libro ita usus sum, ut testimonia ab illo collecta non repeterem, sed adderem tantum, quae ab eo omissa sunt. Cui quod plura saepius desunt, me vitio dare velle ne putes: bene enim novi meum opusculum, et veniam damus petimusque vicissim.

CAPVT PRIMVM

De stellis singularibus

§ 1. De Veneris stella

1. De Veneris stellae nominibus.

De Veneris stella disputanti mihi primum monendum esse videtur constare inter hodiernos triplicem huius astri vim, quippe quod et noctis et diei nuntius et stella erratica exsistat. Neque Romanis id erat ignotum; tria enim appellationum genera exhibent, aut vesperum aut luciferum aut errantem laudantes. Atque ego de nominibus stellae apud Romanos obviis iam acturus initium faciam a vespero.

A. De luce vespertina.

Primo loco sub uno conspectu ponantur nomina ad vesperum redeuntia.

Vesper, *-eri* masc.: huius antiquissimus testis est Plautus, Bacch. 1205 *vesper hic est.*[1]) Nam Ennium huc referre ausus non sum, de quo Censorinus de die nat. XXIV 4 dicit: *Ennius vesperum . . appellat;* ibi enim de nomin. *vesperus* cogitare possis cum Vahleno Enn.[2] frg. inc. XXXI. Haec forma *vesperus* ad Graecorum ἕσπερος redintegrata ut videtur hic

[1]) Ne ullum horum nominum desideraretur, interdum etiam ea exempla erant ponenda, quae de vespertino non lumine sed tempore dicta reperiuntur.

illic apud recentioris aevi auctores legitur, ut apud Isidorum de nat. rer. XXVI 12: *Vesperus est stella occidentalis noctem ducens.* Ex hoc et altero quodam Isidori loco (orig. III 70, 19 L.), ubi haec stella a Hespero rege Hispaniae cognominata dicitur, sua composuit Anonymus de computo (Muratori Anecd. ex Ambros. bibl. codd. III p. 193) c. 142: *vesperus est stella occidentalis quam cognominatam perhibent a Vespero Spaniae rege.* Eadem terminatio recurrit Corp. gloss. lat. III pag. 425, 14: *vesperus hospitalis.* Sed vulgata forma ubique fere est *vesper*, cuius rei testimonia plura afferre supersedi.

Vespera, *-erae* fem.: scil. *hora* vel *stella*. apud Plautum dicitur de vespertino tempore, Curc. 4: *Prima vespera.* Alii stellam ita appellaverunt, quorum nomino Apuleium Met. II 13 *vespera oriente*; V 21: *Vespera noctem trahente.*

Vesperugo, *-inis* fem.: Plaut. Amph. 275. E Plauto vel e Varrone Plautum secuto (de l. l. VI 6) omnes fere qui hanc vocem usurpant pendere videntur, quorum praecipui sunt: Festus p. 368 M; Augustinus de civ. dei XXI 8; Orientius qui falso dicitur carm. IV 12. Solus per se stat Quintilianus, qui nomen *vesperugo* exscripsit e vetere quodam titulo in pulvinari Solis iuxta aedem Quirini [1]) (instit. or. I 7, 12). Unde suam vocis *vesperugo* notitiam hauserint Vitruvius de arch. IX 1, 7 et Martianus Capella VIII 883, qui ipse Vitruvium exscripsisse videtur, disceptare non audeo.

Hesperus et *hesperos* voces a Graecis desumptae promiscue [2]) ponuntur a poetis inde a Catullo c. LXII 32 (*Hesperus*) per imperatorum aetatem (v. c. Stat. Silv. II 6, 37 *Hesperos*) locis quos afferre longum est sexcentis. Inde ut Latinorum *vesper* in memoriam revocaret decurtata est forma *Hesper* (CIL II 3770; IX 127) vel omissa littera spirante *Esper* (CIL III 11121).

Quibus apellationibus adiungenda est una, quam mea quidem sententia haud recte Veneris stellae vindicaverunt. Est *vesper* neutr. gen., quae vox duobus tantum Varronis testimoniis neque eis firmis nititur. Alterum legitur de l. l. VII 50,

[1]) Conferas de hoc Chr. Hülsen Mus. Rhen. IL 1894, 406.

[2]) v. L. Sniehotta, de vocum Graecarum apud poetas Latinos . . . usu (*Bresl. philol. Abh.* IX 2) p. 3 sqq.

ubi commemorata vocula *vesperugo* pergit Varro: *eam Opilius scribit Vesperum; itaque dicitur alterum Vesper adest, quem dicunt Graeci διεσπέριον.* Coniunxerunt inter se viri docti[1]) *alterum vesper*, unde *vesper* neutrius generis fuisse sequeretur. Sed hoc ita se habere negaverim. Nam ut in prioribus *eam* genus assumpsit a *vesperugine*, ita in extremis *quem* necessario a *vespero* masculino traxit masculinum genus. Unde apparet, *alterum* vocem non cohaerere cum *vesper*, sed stare per se.[2]) Quae quid sibi velit aut quomodo emendanda sit, nescio: satis habeo, dum hoc loco nihil demonstrari de neutro genere probavero. Secundum quod in censum vocatur testimonium est de l. l. IX 73: *magis mane significat primum mane, magis vespere novissimum vesper.* Sed hic membrorum qui vocatur parallelismo postulatur quod L. Spengel proposuit *novissimum vespere.* Quae cum ita sint, nomen *hoc vesper* tamquam incertum inter certas stellae Venereae appellationes inserere nolui.

Restant igitur vera astri vespertini nomina *vesper* — cuius a latere stat *hesperus* sive *hesperos, vespera* — *vesperugo.* Iam in eo est, ut in eorum veriloquium inquiramus. Hoc unum idemque omnibus esse primo obtuto apparet, redeunt enim ad **vesperos.* Quod olim Graecorum fuisse probatur Locrensi titulo IGA 321 a 10 *Λοκρῶν τῶν Ϝεσπαρίων*[3]); Latinorum litteras *os* fere ubique interiisse, ubi post brevem vocalem et litteram caninam extiterant, notissimum est.[4]) Sed ut **vesperos* illius originem expediam, non valeo, neque ad hunc diem quantum video ab aliis certa statuta est huius vocis etymologia. Putaverat quondam v. d. Lud. Döderlein (*Lat. Synon. und Etymol.* VI 400) nexum quendam intercedere inter *ἕσπερος* et *σπέσθαι*: *ἕσπεσθαι*, secundum quem *vesper* sit stella, quae sequatur. Sed hic ideo falsus est, quia verbi *ἕσπεσθαι* radix non a *Ϝ*, ut *Ϝέσπερος*, incipit, sed a *σ*: est enim *σεπ-*.[5]) Haec

---

[1]) Horum coniecturae in L. Spengel editione Varroniana congestae sunt.

[2]) Quod si verum est, non dubitabimus verba *Vesper adest* referre ad Catulli c. LXII 1.

[3]) *ωϙ* pro *ερ* ibi e Locrorum more ponitur, v. G. Meyer *Griech. Gram.*[3] p. 59: Brugmann *Griech. Grammatik*[3] p. 67.

[4]) Lindsay-Nohl *Lat. Sprache* p. 428.

[5]) G. Meyer *Griech. Gram.*[3] p. 296. Qua ratione explicandus sit

ergo non pluris sunt quam veterum conamina nomen ab hominis cuiusdam appellatione deducendi, quae supra in p. 8 exscripta sunt. Sed licet de origine vesperi desperemus, fortasse de significatione aliquid afferri potest. Duplex enim vocabuli vis est, quo et sidus nocturnum et tempus nocturnum significatur. Iam quaeritur, utrum prius fuerit. In utramque partem discesserunt viri docti. Tempus vespertinum initio designatum fuisse docet Servius interpolatus ad Verg. Georg. I 251: *vesper stella . . . quod quibusdam mensibus vespere . . . oriatur.*[1]) Altera ex parte G. J. Vossius (Etym. s. v.) stellam prius appellatam putat et ideo dictum *tempus vespertinum vesperum quod tunc oriatur vesper.* Cum Vossio faciunt, qui vocis etymon e lingua sanscrita repetiverunt viri docti: F. Bopp *Vergl. Gram.* II p. 190 vesperum a *divas-para* deducit, quod est *diei finis*; G. Curtius *Griech. Etymol.*[5] 377 ad radicem *vas-*, quae pro habitare (*im Sinne von einkehren, sich zurückziehen*) cadit, reduxit eius originem.[2]) Aliter iudicant A. Pott l. l. I. p. 595, qui vesperum solum regionem quandam caelestem intellegit *die Seite des Abwärts für den Sonnenstand* et Brugmann *Indog. Forsch.* XIII 159, cui vesper videtur compositus ex *ve* (= *hinab*) et **speros* (= *sich rasch bewegend*). Rem propter exilem argumentorum numerum diiudicatu lubricam esse libenter concedo, tamen cur cum Servio facere malim, breviter exponam. Movet me vocis *vesperugo* natura. Hanc a **vespero* derivatam esse addita terminatione *-ug* nemo non videt.[3]) Eiusdem generis sunt *albugo aerugo asperugo ferrugo lanugo mollugo.* Quas voces cum inter se contuleris, ad unam omnes fictas esse intelleges, ut notaretur

---

spiritus asper, leges a v. d. Sommer *Griech. Lautstudien* 1905 explicatum pag. 83sqq.

[1]) Similiter Chalcidius in Plat. Tim. c. 110: *Hesperi nomen . . . quod in eois vespere . . . appareat.*

[2]) Ne qua desideretur interpretatio, Chr. Bartholomae benigne me reiecit praeterea ad Joh. Schmidt: *Die Pluralbildungen der indogerm. Neutra*, Weimar 1889 p. 18; Bartholomae: *Studien zur indogerm. Sprachgeschichte* I 1890 p. 58; W. Prellwitz: *Etym. Wörterbuch der Griech. Sprache* p. 160; Leo Meyer: *Griech. Etym.* I p. 396sq.

[3]) v. Lindsay-Nohl *lat. Sprache* p. 407; Sommer *Handbuch der lat. Laut- u. Formenlehre* p. 364b.

materiae cuiusdam superficies affectum aliquem passa, quo inspicientium aut attingentium tactus aut visus vehementer afficiuntur. Quae cum ita sint, coniecturae loco sententiam meam proferam, primitus neque tempus neque sidus, sed caelum vespertinum caligine circumfusum [1]) vesperum appellatum fuisse, unde stella, cuius exortu superficies caelestis mutata videbatur, nomen vesperuginis accepit. Nam huius splendorem quantopere veteres admirati sint, Plinii verba docent N. H. II 37: *magnitudine extra cuncta alia sidera est, claritatis quidem tantae ut unius huius stellae radiis umbrae reddantur.*[2]) Quodsi praemittuntur a Plinio verba haec [36]: *nuncupatur vesper ut prorogans lucem vicemque lunae reddens*, ea lusum continent etymologicum, quem nos iam non assequimur, quia Plinius omissis propriis altiora vocabula ponens sententiam pessumdedit.[3])

Sed utut haec sunt, id nobis e testimoniorum conspectu supra allato constabit, *vesperugo* vocem iam priscis temporibus ortam paucis tantum in usu fuisse et mox omnino usurpari desisse. Contra *vesper* et *vespera* omnibus temporibus, quamdiu erant Romani, vigebant. Et inde in recentiorum linguas transierunt, ita quidem ut *vesper* et sidus et tempus vespertinum significaret, *vespera* et tempus et officium Christianorum deo vespere oblatum (Ad. Hemme *Das lateinische Sprachmaterial im Wortschatze der deutschen, franz. und engl. Sprache* p. 1018): habent Hispani Lusitanique *vespero*, Itali *vespro*. Quin etiam nostrates cenam dixerunt *Vesper* et cenare *vespern* (F. Kluge *Etym. Wörterbuch der deutschen Sprache*[6] p. 408). Itaque *vespera* et *vesper* Latinorum voces erant vere populares, ita tamen, ut ad definiendam stellam masculino genere uti mallent. Quod cum e scriptorum libris tum ex eo elucet, quod virorum quoque cognomen *Vesper* fuit, velut CIL V 5773: *C. Iunius Vesper.* Neque tamen serutinam stellam solam vesperum Latini apellabant, sed postquam ad eos pervenit

---

[1]) Itaque recte contulit huc Germanorum qui vocatur *tunkelsterne* Jacobus Grimm *Deutsche Mythologie* II[4] 603.

[2]) Cfr. Mart. Cap. VIII 883: *sola de quinque sideribus umbram reddit ut luna.*

[3]) Possis cogitando supplere: *vesper — id est phosper — ut prorogans lucem.*

Graecorum observatio luciferum et vesperum eundem esse, vesper etiam pro stella aurorae praevia ponebatur. Horatium provoco testem, c. II 9, 10: *nec tibi Vespero | surgente decedunt amores | nec rapidum fugiente solem.* Quo fiebat, ut etiam plurali forma uteretur, si quis una tantum voce utramque sideris apparitionem significare volebat. Huius usus unum inveni testimonium apud Priscillianum (V 86 Corp. script. eccl. lat. vol. XVIII p. 65): *quae erant intenebrata patuerunt et nocte vesperis*[1]) *ab splendore lucis divisa . . . terra solidata est.* Atque haec de *vespero* hactenus. Contra *hespero* uti poetis tantum licebat, quos e Graeco hausisse in propatulo est. Itaque ambigi potest, utrum Graecos an Romanos poetas secuti sint, qui cognatis Hesperi nomen indiderunt. Cuius rei exempla habeo haec: CIL II 3770, III 355 C. D., 8442, 11121 (*Esper*), V 1389, IX 127 (*Hesper*), X 3720. Certe Romanam poesin imitati sunt, qui aevo quod Carolingum vocatur *hesperum* praedicaverunt. Eius laudis testes affero Gesta Apollonii (Mon. Germ. hist. poet. lat. aev. Car. II p. 503 v. 693), Ermoldi Nigelli carmen (in hon. Hlud. I v. 281, Mon. II p. 13), Walahfridi Strabi Carmin. (Vis. Wett. v. 199, Mon. II p. 310). Simili ratione ad aliarum gentium sequioris aevi poetas transiit Hesperus, e quorum carminibus exempla afferre consulto neglego, nisi quod moneam hodie quoque in Hispaniensium sermone altiore audiri *hespero*, apud Italos *espero.*

Sed quoniam ad poetas deflexit oratio, nonnulla vocabula addere liceat, quibus vesperum qui soluta natione Romana scripserunt exornaverunt. Sunt autem duo: antifer et noctifer.

Antifer, -eri: Fulgent. Mythol. II 13; Corp. gloss. lat. III 425, 15; CIL V 6244, ubi *lucifer* et *antifer* supra stellis depictis scripti sunt in lateribus arcae sepulcralis. Haec vocula licet nobis nullo carmine tradatur, tamen poeticum colorem praebet, qui ex metonymia agnoscitur. Neque tamen qualis ea sit, facile dicitur. Dubitavit enim, utrum priores eius vocis syllabae graecae sint (*ἀντι-*) an latinae (*ante-*),

[1]) De genetivo casu tertiae declinationis cogitare non licet, cui desunt exempla, postquam supra p. 9 Varronis *hoc vesper* sustulimus.

Thurneyssenus in Thes. l. l. II 169, qui hoc vocabulum ad exemplum vocis *lucifer* fictum putat. Ego, cum exitus *-fer* sine dubio Latinum ostendat sermonem, initium quoque pro Latino habuerim et iuncturam eandem putaverim atque in *anti-lena anti-sto* aliis. Itaque qui hoc vocabulum formaverunt, vesperum aliquid anteferre putabant. Quale id fuerit, conicere fortasse licet e Varronis loco, a Nonio p. 112, 23 servato. Ibi traditur facem fuisse, quam novae nuptae *puer ingenuus anteferret.* Simili modo a vespero nocti facem anteferri constat ex artis antiquae monumentis, in quibus saepius Hesperos fingitur tamquam puer facem lunae anteferens; v. Dütschke, *Arch. epigr. Mitt. aus Österreich* VII 1863 p. 166 adn. 65.

Noctifer, -eri: Cat. c. LXII 7; Calpurn. ecl. V 121 (PLM III 94) eadem qua Catullus versus sede. Hoc Catullus poetice finxit ut haberet quod *lucifero* responderet.

Neque tamen hae duae appellationes umquam in usu populari fuisse videntur. Accedit tertia quaedam, qua vesperum intellegi haud suo iure putaverunt viri docti, nempe *Nocturnus.* Cum enim Statius in Thebaide VI 218 luciferum sidus appellasset *nocturnum*, L. Preller (*Roem. Myth.* I[3] 328) Nocturnum nomen esse stellae vespertinae proprium autumavit, adductus ni fallor Amphitruone Plautino v. 272: *credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium.* Sed si reliqua quae Nocturnum laudant testimonia perlustramus,[1]) non sidus, sed deum Nocturnum esse intellegimus: quare hanc appellationem nostro iure neglegere possumus.

B. De luce matutina.

Stellae matutinae hae occurrunt significationes Romanae: *stella diurna* et *iubar*, quas inde a litterarum initiis notas fuisse ex testimoniis apparet.

Stella diurna: huius nominis usus uno solo traditur exemplo. Plautus enim dicit Menaechm. versu 175: *inde usque*

[1]) Congesta sunt a v. d. Drexler in Roscheri lexico III 446. Praeterea in titulo quodam Carthaginiensi magico *Νοκτοῦρνε* legere sibi visus est R. Wuensch (Mus. Rhen. LV 1900 p. 260), sed qui ultimus titulum edidit Aug. Audollent (*Defixionum tabellae*, diss. Paris. 1904 no. 250) *Νοκτουκιτ* legendum esse affirmat.

ad diurnam stellam crastinam potabimus. Hac voce stella significatur quae diurna est i. e. in diem vel in die elucet. Neque enim putaverim, ioculariter haec de ipso sole dici, quoniam stella vox, quantum video, numquam ad maiora sidera sc. solem vel lunam transfertur. Utrum hanc appellationem Plautus e vulgari sermone hauserit, an ipse metri necessitate coactus invenerit, diiudicare nescio; asseclam certe inter librorum auctores non adeptus est.

Iubar, -aris: haec appellatio inde ab Ennio et Pacuvio usurpatur ad lumen soli praecurrens significandum. Ennii versus sunt recensionis Vahlenianae iteratae, cuius lectiones probo, Scen. 37: *hoc lumen iubarnest quod in caelo cerno* et Ann. 547: *interea fugit albus iubar Hyperionis cursum.* Pacuvii verba in Ribbeckii Tragicorum Romanorum fragmentis leguntur in editione tertia p. 140 v. 347: *exorto iubare, noctis decurso itinere.* Hos vetustissimos poetas recentiores qui fuerunt imitati sunt, cum qui solutam orationem scriberent vocem *iubar* spernerent praeter grammaticos. Quibus et ipsis locos modo laudatos debemus. Grammatici enim variis modis, ut huius nominis originem enuclearent, egerunt. Recentiorum primum quidem mythologicam vocis protulit interpretationem R. Garrucci (*Annali dell' Inst. di corr. archeol.* XXXIII 1861 p. 156). Legerat enim in cista quadam Etrusca IAFOR dei sive herois appellationem, eamque idem esse iussit atque iubar, ita ut is pro deo cederet, cui nomen ascriptum erat, e quo stella lucifera nomen traxisset. Sed hac de re valde dubitavit H. Jordan (*Kritische Beiträge zur Geschichte der lat. Sprache* p. 61), qui postea statuit non IAFOR sed IACOR legendum esse, qui esset Graecorum Ἴακχος (Herm. vol. XVI 1881 p. 251). Qua re ad irritum cadit explicatio e deorum fabulis petita. Iam ad grammaticorum veriloquia nos convertamus, quorum primus est Varro de l. l. VII 76 docens: *iubar dicitur stella lucifer, quae in summo quod habet lumen diffusum, ut leo in capite iubam.* Plerique veterum grammaticorum hanc etymologiam a *iuba* deductam probaverunt,[1]) quin etiam recentiorum eam defendit

[1]) Varronis doctrinam in universum secuti sunt Verrius apud Festum p. 104 M.; Serv. Verg. Aen. IV 130; Isidor. etym. III 70, 18; Anon. de computo loco supra pag. 8 laudato.

Guil. Corssen (*Kritische Beiträge zur lat. Formenlehre* p. 159), qui dicit: *Varro hatte an dem Morgensterne einen mähnenartigen Strahlenglanz wahrgenommen, daher folgert er, dafs jub-ar den Morgenstern als den mit „Mähnen versehenen" Stern, als jub-a-ta bezeichne. ... Was aber die Wortbildung von jub-ar anbelangt, so verhält sich dasselbe zu juba wie calc-ar zum Stamme calc-, wie bust-ar ... zum Stamme busto. Jubar bezeichnet ein Ding, an dem sich eine „Mähne befindet", wie bustar ein Ding, wo sich „Scheiterhaufen befinden".* Impugnata est haec Corsseni sententia variis modis. Atque primum quidem, quantum ad rem, L. Döderlein (*Lat. Synonyme* II 68) dicit: *Hätten die Alten wirklich die Sonnenstrahlen mit Mähnen = iubis verglichen, so wäre dies ein höchst unglückliches Bild, besonders auch deswegen, weil eine wesentliche Eigenschaft der Sonnenstrahlen ihr Ausströmen aus einem Mittelpunkte ist, die Rofsmähnen aber nicht einmal scheinbar, wie allenfalls das menschliche Haupthaar, von einem Mittelpunkte ausgehen.* Sed haec nihil valent, nam adhibetur iuba vox non solum de equi vel leonis iuba, sed etiam de coma hominis.[1]) Potuisse autem stellarum radios cum comis humanis conferri a Romanis apparet e cometarum appellatione, quos stellas crinitas vel cincinnatas dixerunt.[2]) Scimus praeterea a veteribus saepius vesperi ipsius radios splendidos comparatos esse cum iubis: sic a Callimacho (hymni in Del. versu 303) laudatur *οὖλος ἐθείραις ἕσπερος* et Claudianus carm. XXII v. 472 sq. poetarum more notat: *gelidas hinc lucifer ornat, hinc aurora comas.*[3]) Itaque quantum ad rem cum Varrone et Corsseno consentire possumus. Sed graviora sunt, quae contra hoc veriloquium a grammaticae artis parte proferuntur. Ne omnia enumerem,[4])

---

[1]) V. c. Sen. de brev. vit. XII 3: *quomodo excandescunt, si quid ex iuba sua decisum est . . .*

[2]) Cic. nat. deor. II 14: *stellis iis, quas Graeci cometas, nostri cincinnatas vocant.* Similem in sensum dicunt Arabes Sirium *Schira* i. e. stellam hirsutam, v. Ideler: *Sternnamen* p. 244.

[3]) Indianorum qui vocantur gentes ineruditae luciferum appellant *Chosca* i. e. comosum; v. I. S. Müller: *Gesch. der amerik. Urreligionen* pag. 364.

[4]) V. *Gött. gel. Anz.* 1864, 330; Corssen *Kritische Nachträge* 186.

gravissimum vidit H. Jordan (*Kritische Beiträge* 62), qui *iubar* non eodem modo conformatum esse dixit quo *bustar*, quia *a* vocalis diversam in utraque voce haberet quantitatem: *bustāris* sed *iubāris*. Quo intellecto viri docti Corsseni etymon reliquerunt et novam interpretationem quaesiverunt. Qua de re nobis adeundus est Servius, qui Aen. IV 130 docet: *est autem lucifer interdum Iovis, nam et antiqui iubar, quasi iuvar*, licet is divinetur magis quam explicet vocis radicem. Nam iamdudum intellexerunt viri docti veram esse eam vocis *iubar* interpretationem, quae eam reducat ad eandem ad quam *Iovis* nomen, nempe ad Indogermanorum qui vocantur radicem *div* vel *diov*, quae nitorem significat. Huius derivationis antistes L. Meyer est (*Vergl. Gramm. der griech. lat. Sprache* I ² 159),[1] cui assentiendum esse puto, nisi quod litteram *b* vocis *iubar* eandem esse volebat quam *v* radicis indogermanae. Quod fieri ullo pacto posse iam Corssenus negavit (l. l. 159). Immo seiungendum nobis *iubar* ita videtur, ut secernamus *iu* et *-bar*, quarum syllabarum prior ad primitivam radicem *div* vel *djov* eodem modo redit, quo *Iu-piter* ad *djov-*. Iam restat, ut de terminatione *-bar* agamus. Hanc J. Savelsberg, (*Umbrische Studien, Ztschr. für vergl. Sprachf.* XXI 137) explicavit e Sanscritorum *vara*; v. d. Darbishire putavit Indorum *-bhas* esse Latinorum *bar*, ut sit *iubar Tagesschein* (v. A. Walde, *Lat. etym. Wörterbuch* p. 310 s. v. *iubar*). Sed ego hoc *-bar* componere malim cum sanscrito *-bhar*, quod apud Latinos recurrit aut in *ber* (*faber, creber, mulciber*) aut in *fer* (*signifer*) mutatum.[2] Ego enim *bar* illud pro forma pleniore membri suffixi *-ber* habeo, cuius vocalis littera — incertum quibus de causis [3] — aliter atque in reliquis debilitata non sit. Cumque huic suffixo *-ber* sive *-fer* plerumque sensus ferendi insit, ego non dubito *iubar* explicare per *nitorem lucis ferens*, ita ut haud multum inter se distent *iubar* [4] et *lucifer*. Hac de re

[1]) Eius sententiam secutus est A. Vaniczek *Griech. lat. etym. Wörterbuch* p. 359; v. etiam H. Ahrens *Ztschr. für vergl. Spr.* III 162, qui antiquissimam vocis Latinae formam *iuvas* esse contendit.

[2]) v. Corssenum *Krit. Beitr.* p. 356; 363.

[3]) Nisi quod antiqua vis ferendi plane pertrita atque neglecta erat.

[4]) Adnotem etiam lunam a Francis appellatam esse a nitore *skîn*, v. Grimm l. l. I p. 584.

tantum ambigi possit, utrum suum nitorem secum afferat, an splendorem diei qui subsequitur. Attamen ego ad illam sententiam pronuntiandam inclinem, cum veri similius sit primitivos quos vocamus populos longe prius splendorem stellae propriam observasse et suo nomine appellasse, quam diei nuntium eam esse intellegerent.

Postquam hanc vocis *iubar* originem intelleximus, pauca de usu eius addamus. Atque primum quidem quaeramus, unde factum sit, ut de *iubaris* genere dissenserint veteres, dum aut masculino aut neutro genere usurpant. Cuius rei exemplo esse non potest iunctura illa Pacuviana, quam supra pag. 14 attulimus, *exorto iubare.*[1]) Sed masculinum genus ei tribuitur ab Ennio (Ann. 547) *albus iubar* et a poeta qui Aetnam carmen conscripsit ibique v. 334 de sole dicit: *rubens surgat iubar aureus.* Item genus masculinum adhibuerunt Anth. Lat. rec. A. Riese I no. 197, 4; Venantius Fortunatus (carm. III 4, 2 de eloquentiae, III 7, 44 de templi nitore.). At neutrum genus occurrit apud Lucretium V 697 qui scribit *tremulum iubar haesitat* et Varro dicit de l. l. VI 7 *inter vesperuginem et iubar.* Cuius differentiae causam ego hanc crediderim, quod brevi vocis *iubar* veriloquium obliti sunt Romani. Initio *iubar,* qui lucem fert, genus sibi poscebat masculinum; deinde autem similitudine vocum *calcar, pulvinar* ad neutrum genus trahebatur. Quod ubi semel factum est, et ipsa vocabuli notitia mutabatur: neglecta terminationis vi de nitore solo cogitabant. Huius rei testimonium dant Calvi poetae verba (PRF rec. Baehr. p. 320 frg. 5): *Hesperium*[2]) *ante iubar quatiens.* Sed non solum luciferi splendorem[3]) efferebant hac voce usi, sed etiam solis, ut Aetnaei carminis auctor modo allatus, et postremo cuiuslibet rei nitorem, id quod a Venantio factum vides. Cumque tali modo vox *iubar* posteriore aevo non necessario cohaereret cum Veneris stella, factum est, ut paulatim omnino non pro illa usurparetur. Neque iam miraberis, quod Roma-

[1]) Quam receperunt Verg. Aen. IV 130; Columella de re rust. X 294.

[2]) Ex Aldinae correctura. *Vesperum* vel *Hesperum* codices; *vesper it* Baehrensius.

[3]) Quem tali modo extulerunt etiam Claud. XIV 2; Paulin. Nolan. c. XIX 222 (Corp. script. eccl. lat. XXX p. 126: *laetum iubar exserit*).

norum nepotes qui hodie sunt populi nullam praebent similem vocem ex *iubare* derivatam, qua stella diurna significetur. Quae nominis *iubar* oblivio in dies eo aucta est, quod altera quaedam vox locum eius occupavit, nempe *lucifer*.

Lucifer, eri: in huius appellationis etymo non commoror, quippe quod luce clarius sit. De notione eius idem valet quod ad *iubar* supra pag. 17 adnotavimus, ubi duplicem interpretandi rationem statuimus, quam hoc loco iam apud veteres invenimus. Altera ex parte Plinius stat, qui dicit N. H. II 36: *ante matutinum exoriens luciferi nomen accepit ut sol alter diemque maturans.*[1]) Contra Isidorus[2]) putat (Orig. III 70, 18): *lucifer dictus eo, quod inter omnia sidera plus lucem ferat.* Ipsum vocabulum primum ni fallor legitur apud Pomponium (comicor. Rom. fragm. coll. Ribb.[3] v. 74): *in caelo fulgit propter lunam lucifer.* Proximus Cicero docet de nat. deor. II 53: *stella Veneris, quae Φωσφόρος Graece, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur solem.* Qui locus is fuisse videtur, qui L. Preller suspicionem movit (*Röm. Myth.* I[3] 328) hanc vocem non inde ab initio Romanorum propriam fuisse, sed postea tantum ad Graecorum exemplum confectam, quae opinio licet eo confirmetur, quod supra pag. 17 de veteris illius vocis *iubar* significatione diximus, tamen necessario *luciferum* e Graeco converti debuisse demonstrare nemo poterit.

Luciferi nominis fata eadem fere fuerunt quae *vesperi*. Ut vesperum ad vespertinum, sic luciferum ad matutinum tempus et inde ad totum diem referebant. Cuius rei pauca tantum afferam exempla. Tibullus I 3, 94 optat, ut *Aurora nitentem luciferum roseis portet equis* et Ovidius Fast. III 772 quaerit, quare toga detur *lucifero pueris, Bacche, tuo.* Postquam autem luciferum et vesperum eundem esse intellexerunt Romani, illum saepius ita, ut hunc significarent, ponebant. Cuius rei exempla in primis apud Chalcidium inveni (Tim. Plat. p. 38 D, Comm. c. 66, 110, 124). Plerique autem Romani scriptores luciferum semper pro phosphoro ponebant. Unde hoc nomen

[1]) Cum Plinio facit scholion quoddam Arati latinum (E. Maass comm. in Arat. rel. p. 274).

[2]) Ex Isidoro ut solet sua hausit Anonymus de computo loco supra pag. 8 laudato.

omnibus sequioribus saeculis viguisse per se patet; accedunt lapidum testimonia, in quibus et naves (CIL X 3384, 3394, 3395, 3579)[1]) et homines tam servi (CIL II 4968, 4) quam liberi (CIL III 3193 C. VARIVS LVCIFER, CIL III 5264) et liberti (CIL III 342, IV 2156) ita appellantur. Una accedit mulier LOTTEIA LVCIFERA (CIL V 8836). E litterarum historia notus est Lucifer Caralitanus, Athanasianae doctrinae saeculo quarto indefessus defensor (Hieron. de viris illustr. 95). Atque saepius Christianorum poetae laudant stellam luciferam, v. c. Hrabanus Maurus c. XXIV 12, Mon. Germ. hist. poet. lat. med. aev. II p. 188.

Cum adeo diffusum fuerit *luciferi* nomen, mirum non est, quod apud Italos hodie viget, quorum in usu est *lucifero*. Alii populi, quorum redit lingua ad latinam, aliter appellant stellam: velut Francogalli *étoil du matin*, Hispani *lucero de alba*.[2])

Pauca tantum addere iuvat de Graecorum notionibus, quas integras receperunt Romani *eoum* dico et *phosphorum*. Quae inprimis a poetis adhibitae, ut sermo varius existeret, hic illic pro nomine (CIL IV 2241) aut cognomine (CIL V 8698 Q. GRANI PHOSPHORI) usurpatae sunt. Eodemque modo, quo *lucifer*, haec nomina pro vespero in usu sunt. Exemplum profero carminis cuiusdam recentioris (app. carm. Auson. II 45, ed. Peiper p. 411):

quam modo nascentem rutilus conspexit Eous
hanc rediens sero vespere vidit anum.

Neque longius in linguas populares medio aevo hae notissimae progressae sunt notiones; unus tantum auctoris cuiusdam locus memoria dignus videtur, quo fortasse confusi sunt Bootes et Phosphorus. Loquitur enim Ennodius (Corp. script. eccl. lat. VI pag. 451) de homine *Bosphorum Pleiades Cynosuram et quidquid iter monstrat* inspiciente.

C. De stella erratica.

Satis mihi multa verba de *vespero* et *iubare* fecisse videor. Atque per multum quidem tempus cum Graeci tum Romani

[1]) Ex aliis quoque stellis naves appellatas esse docent CIL X 3597 (Capricornus), CIL X 3447, 3648 (Taurus).

[2]) Etiam Germani teste J. Grimm (l. l. III s. 603) conati sunt in usum suum luciferum convertere, cum dicerent *Bringetag*, sed praevaluit semper locutio popularis *Morgenstern* vel *Tagestern*.

utramque stellam diversos esse ignes putabant et tardius tantum sapientium sententia ab una eademque stella erratica et matutinam et vespertinam lucem praeberi percrebuit. Neque enim recte contendat quispiam populum Romanum iam initio scivisse luciferum et vesperum eundem esse[1]; quod si verum esset, pro una re non duo haberemus vocabula vere Romana eaque diversae notionis, *vesperum* et *iubar*, quas usque ad liberae rei publicae exitum semper discretas adhibent librorum scriptores. Tum demum cognitio de una eademque stella agi, quam apud Graecos repperisse Pythagoras (Plin. N. H. II 37) aut Parmenides (Diog. Laert. VIII 1, 14) aut Ibycus (frg. 42 B) dicuntur, pluribus accepta est. Primus ni fallor hoc habet Catullus, c. LXII 34:

. . idem saepe revertens,
Hespere, mutato deprendis nomine Eous.[2])

Similiter Cinna, Catulli sodalis, cecinit (PRF rec. Bähr. p. 324):

te matutinus flentem conspexit Eous
et flentem paulo vidit post Hesperus idem.

His locis adnotandum est neutrum poetam, ut erant doctrinae dediti et ab ipsius naturae observatione alieni, intellexisse non eodem die sed diversis anni temporibus Veneris stellam Hesperi et Eoi vicibus fungi. Neque omnino poetae hanc accuratiorem cognitionem adhibere dignati sunt, sed ubicumque Vesperum et Luciferum eundem esse praedicant, de eodem cogitant die; quod in eorum deliciis fuisse locorum demonstratur multitudine.[3]) Quin etiam, qui astronomicon confecit carmen Manilius, vel ipse non acriter distinxit, cum dicat I 177:

nec matutinis fulgeret Lucifer horis,
hesperos emenso dederat qui lumen Olympo.

[1]) Neque Graecos vel Assyrios vel Aegyptios antiquitus vesperum et luciferum easdem putasse stellas probat Roscher, v. Mythol. Lexic. s. v. *Planeten* p. 2521 adn. 3. Aliter iudicat de Graecis U. de Wilamowitz-Moellendorff Herm. XVIII 1883 p. 417.

[2]) *Eous* Schrader, *eosdem* sensu cassum habent codices.

[3]) Vide Sen. Ag. 819 (ed. Leo), Phaedra 750; Stat. Theb. VI 240, qui stellam vespere *mutato equo* redire dixit; Ilias lat. 868; Boeth. de cons. phil. I 5, 11; Lucan. frg. 9 (PRF p. 367).

Postquam Romani tali modo luciferum cum vespero composuerunt, difficultas oriebatur, quo nomine hanc stellam appellarent. Itaque iam nullo discrimine facto aut de vespero mane splendente aut de lucifero sero oriente loquuntur, cuius rei testes Chalcidium pag. 18 et Priscillianum pag. 12 attuli. Sed non cuncti Romani doctrinam hanc receperunt, immo multi avorum sententiam secuti semper inter iubar et vesperum distinxerunt. Sic M. Terentius Varro in libro, quem de re rustica conscripsit tertio c. V 17 horologium quoddam describit, in quo *stella lucifer interdiu, noctu hesperus ita circumeunt ad infimum hemisphaerium ac moventur, ut indicent, quot sint horae.* Etiam poetae, ubi e re videbatur, nexum artissimum inter *iubar* et *vesperum* neglegebant. Ita Seneca sibi ipsi pugnat,[1]) cum dicit Herc. Oet. 149: *commisitque vices Lucifer Hespero.*[2]) Perdurasse hanc opinionem duas stellas esse usque ad extrema antiquitatis tempora testis est auctor panegyrici Constantio Caesari dicti, a quo c. IV enumerantur *duobus caeli luminibus adiuncti Vesper et Lucifer.* Fulgentius quoque loco iam supra (pag. 10) laudato (Myth. II 13) de duobus quibusdam astris agit, quorum *unus superappareat, alter mergat, sicut lucifer et antifer.* Artifices vero, ubi noctis et diei indicem reddere volebant, ipsa re ut duas stellas fingerent, coacti erant. Videas v. c. arcam illam sepulcralem supra pag. 12 allatam.

Ex iis quae modo exposui constare inter nos putem veteres Romanos luciferi naturam errantem non satis perspexisse. Neque enim omnino stellarum erraticarum notitiam ipsi habuisse, immo omnem earum scientiam Graecis debuisse videntur. Sed hi quoque non invenerunt astrorum accuratiorem notitiam, immo receperunt ab orientis populis excultam. Quorum primi nominandi sunt Chaldaei, qui iam remotioribus temporibus septem stellas errantes distinxerunt easque singulis numinibus dedicaverunt et luciferum Astartae[3]) h. e. Grae-

[1]) Vide locos supra p. 20 adn. 3 allatos.

[2]) Conferas eiusdem Apocol. IV 25 sqq.

[3]) H. Hommel *Ausland* 1890, 382. Schrader *Semitismus und Babylonismus (Jahrb. für protest. Theologie* I 127): *Sie (sc. Assyrii) betrachten die ernste Astarte als die Göttin des aufgehenden Venusgestirnes, als die Göttin*

corum Aphroditae, ut Ioannis Lydi verbis utar, qui de mens. p. 31 extr. ed. W. de lucifero dixit: *οὗτος δὲ ἂν εἴη ὁ Ἀφροδίτης ὁ καὶ Ἕσπερος, ὡς Ἕλλησι δοκεῖ.* Attulisse Graecis hanc scientiam praeter alios videntur Eudoxus et Epigenes et Apollonius Myndius, quos Seneca Nat. Quaest. VII 3 tamquam Chaldaeorum discipulos laudat. Graecorum Aphrodite Romanorum facta est Venus. Quod quo tempore evenerit, certe non constat, sed fortasse Varronis temporibus.[1]) Sed habemus narrationem Petronii in Trimalchionis domo fuisse tabulam *stellarum septem imagines pictas* ostendentem (cap. 30); in hac luciferam stellam Veneris imagine fuisse expressam conicere licet inspicientibus monile quoddam argenteum iisdem imaginibus ornatum, quod E. Maassius repetivit (*Tagesgötter* p. 241).

Sed praeter Babylonios Aegyptii quoque ad planetarum doctrinam contulerunt: hoc quoque Seneca testatur (Nat. Quaest. VII 3). Quae res alicuius momenti in appellando Vespero fuisse videtur, si quidem Plinio fidem habemus, qui dicit N. H. II 37: (*lucifer*) *in magno nominum ambitu est. Alii enim Iunonis, alii Isidis, alii Matris deum appellavere.* Nam inde a Pharaonum temporibus Veneris stella Osiridi, Isidis marito dicata erat (A. Bouché-Leclercq, *L'astrologie grecque* p. 66 adn. 1)[2]); Isidis autem cognomen et matris deum, quae cum Iside coaluit (v. Drexlerum in Roscheri Lex. II p. 546), secutum videtur. Iunonis vero appellatio in libro quoque reperitur, qui *περὶ κόσμου* inscriptus et receptus est in corpus Aristotelicum; ibi legimus c. II p. 392 A 28: *ὁ τοῦ Φωσφόρου (κύκλος), ὃν Ἀφροδίτης οἱ δὲ Ἥρας προσαγορεύουσι.*[3]) Quam differentiam illis temporibus ortam putem, quibus Chaldaeorum Astarten in Graecum converterent et dubii haererent, utrum ea Hera esset an Aphrodita.

At Plinii adnotatio sola per se stat; longe plurimi hesperum et *Venerem* inter se coniunxerunt. Commendabatur

des Morgensternes; die üppige Venus Astarte als die Göttin des untergehenden Venusgestirns, des Abendsternes.

[1]) Vide infra pag. 31.

[2]) Adnotandum est Isidem etiam pro Venere cultam et aurorae dominam putatam esse (Rosch. II p. 494. 441).

[3]) Quod Apuleius de mundo c. II ita convertit: *quintus Phosphorus Iunonia, immo Veneris stella, censetur.* Vide etiam Aug. de civ. dei VII 15.

haec iunctura fortasse eo, quod vesper amantibus, qui in Veneris tutela erant, favebat, id quod pulcherrimo illo LXII. Catulli carmine docemur. Variis autem modis poetae hanc deae et stellae coniunctionem exprimebant. Nam aut Venus ipsa in astro conspicitur (Ov. Ib. 211; Amor. I 8, 30; Auson. VII 16, 3 p. 94 P.: *quali properet Venus alma recursu*) aut lucifer Veneris sedes est (Iuv. VI 570 *quo laeta Venus se proferat astro*); alii denique luciferum stellam Veneri sanctam putaverunt (*stella Veneris* Verg. Aen. VIII 589; Val. Flacc. VI 528; Sil. Ital. VII 639; XII 247; Claud. XIV 2, XXXV 121), quam dea maxime adamaverit. Unde complures manaverunt dictiones poeticae: *Cytherea* (Claud. XXII 439; PLM V p. 350, 3 v. 8; Chalcidius frgm. 15, 4 = PRF p. 409), *Cythereius ignis* (Sil. Ital. XII 247), *Cythereie Vesper* (Aus. Prec. cons. des. v. 31 = p. 25 P), *Dione* (Symm. ep. III 11 = PRF p. 411), *Dionaei Caesaris astrum* (Verg. ecl. IX 47), *Dionaeum astrum* (Auson. App. Dist. de mens. v. 13 p. 99 P), *Idalium astrum* (Prop. IV 6, 59), *Paphiae lampades* (Stat. Silv. V 4, 8).

Vix est quod commemorem docta haec ex Graeco desumpta poeseos ornamenta numquam recepta esse in sermonem popularem. Quicumque soluta oratione luciferi errantis vim exprimere cupiebat, *Venus* sive *Veneris stella* dicebat. Huius consuetudinis exempla afferre supersedeo, sufficiat in universum Firmici Materni scripta indicasse. Unus tantum Isidorus errore adductus est, ut de Martis quoque nomine cogitaret. Nam cum vesperum et luciferum seiungeret, duos deos tutelares constituit. Itaque Veneris maritum accersit, dum dicit (de nat. rer. XXIII 1): *tertio circulo luciferi circumvectio est, quae inde a gentilibus Venus est dicta, quod inter quinque stellas plus lucis habeat . .* (2) *porro quinto circulo vesper sidus est conlocatum, quem illi Marti adsignant.*[1])

Isidorum primum videmus repugnantem tamquam contra gentilium appellationem. Sed omnino Christiani hoc paganorum numinis nomen spreverunt et libentius vocem *lucifer* et *vesper* redintegrarunt. Postea autem, cum *luciferum* dia-

[1]) Vide ibidem cap. III 2: *tertium* (sc. *diem vocatum dicimus*) *ab stella Martis, quae vesper vocatur . .* (3) *. . sextum a Veneris stella, quam Luciferum asserunt.*

boli cognomen esse putarent, id quoque spreverunt et *vesper* voce praecipue usi sunt. Quod exemplo Augustini[1]) eiusque verbis quae de usu planetarum nominum saepius facit, optime demonstrari potest.[2]) Neque tamen eorum dicendi more factum est, ut Veneris cognomen interiret. Immo astrologia per medium aevum potentissima effecit, ut hodie quoque vigeant apud Italos nomen *Venere*, Lusitanos *Venus*, Gallos *étoile de Vénus*, Hispanos *estrella de Venus*, Germanos *Venus* vel *Venusstern*.

II. De Veneris stellae opinionibus.

Sententiarum, quas veteres Romani de Veneris stellae natura ac vi habuerunt, testes nullos habemus nisi appellationes. Harum vere Romanae *vesper* tantum sunt, *vesperugo*, *iubar*, ex quibus concludere licet Romanos primitus putasse, duas stellas esse diversas et appellasse alteram, quod in caelo vespertino appareret, alteram, quod lucem afferret.[3]) Quod masculini generis esse putabantur, mirum est, cum ceteris astris plerumque genus femininum tribueretur (moneo *suculas*, *vergilias*, *iugulas*, *caniculam*). Sed certi quid hac ex re concludi non potest, cum nullum sit indicium a Romanis deorum loco cultos esse aut vesperum aut luciferum, id quod aliis populis[4])

[1]) Vide indicem in Augustini opera omnia: Migne *Patrol. curs. compl.* ser. lat. vol. XLVI s. v. *lucifer* et s. v. *Venus*. Fusius disputat de hoc Augustini genere loquendi F. Piper l. l. II p. 212.

[2]) Neque tamen nova nomina intulerunt, id quod septimi decimi saeculi magis relictum est. E variis appellationibus tum creatis unum profero *Iohannis astrum*, v. Strauchium: *Astrognosia* p. 156, qui praeterea commemorat, luciferum a chymicis, qui cuprum metallum in Veneris potestate esse putabant, *Kupferstern* dictum esse.

[3]) Similibus rationibus commoti dixerunt Germani *Abendstern*, *Morgenstern*, *Tunkelsterne*, *Tagessterne*. Singularis eorum appellatio est *Tierstern*, quod orienti vespero ferae e silvis procedant, J. Grimm l. l. p. 603. Et Angli cognominaverunt vesperum *svana sterra* i. e. bubulcorum stella, quod pastores et greges in stabula compellit. Hoc adnotavi, quod Romani quoque greges oriente vespera redeuntes descripserunt, Verg. Ecl. X 77: *ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae*. Cul. 202 sq.

[4]) Ut populis ad orientem sitis (Robertson Smith *Religion der Semiten* p. 40; J. Wellhausen *Skizzen und Vorarbeiten* III p. 37 sq., 40) et Americanorum indigenis (J. S. Müller *Amerikan. Urreligion* p. 53. 480). Vide etiam Fr. Schultze: *Der Fetischismus*, qui pag. 249 templa et sacrificia luciferi

usu veniebat. Neque opinionis illius rudissimae, secundum quam non idem semper oriatur sidus, sed novum et diversum singulis diebus, quam veteres de sole et luna habuisse probavit H. Usener *Götternamen* p. 288 sq., vestigia remanserunt: nam artificium est, si pro *die novo* dicitur in carmine App. Auson. II 11 p. 410 P: *exoriente novo lucifero.*

Quod si supra p. 16 recte exposuimus *iubarem* ex eo appellatum esse, quod suum nitorem afferret, Romani inde ab initio mirum luciferi splendorem animadverterunt. Neque posteriore aevo hunc laudare variis appellationibus destiterunt. Quas enumerare breviter velim in unum conspectum redactas. Dicitur igitur lucifer s. eous: *albus* Ov. Trist. III 5, 56; *ardens* Dracont. de laudibus dei II 8; *aureus* Auson. p. 15 v. 232 P; *blandior reliquis astris* Mon. Germ. hist. poet. lat. med. aev. II p. 143 v. 27; *caerulus* Ov. Met. XV 789; *clarus* Ov. Met. XV 190; *clarissimus micans* Dracont. carm. prof. X 470; *nitens* Tib. I 3, 94 et Eleg. in Maec. I 131; *nitidissimus* Ov. Tr. I 3, 71; *roscidus* CIL VI 3, 21521, 8; *roseus* Stat. Theb. II 137, Sil. Ital. IX 180, Hilar. gen. 68; *rutilus* Auson. II 3 v. 12 p. 7 P, XXII 2 v. 45 p. 411 P, Dracont. carm. prof. X 471, Avien. II 166; *serenus* Paul. Nolan. carm. XVIIII v. 221: Corp. script. eccl. lat. XXX p. 126. Vespero quoque similia tribuuntur epitheta: *purus* Hor. carm. III 19, 26. PLM V p. 350, III 10; *roscidus* Ov. F. II 314; *ruber* Corp. script. eccl. lat. XXIV p. 88 v. 225; *rubens* Verg. G. I 251.

Vides igitur imprimis ipsius stellae splendorem laudari, etsi negari non potest interdum colorem caeli indicari in quo appareat sidus, ut matutini (*rosei*). Ad unam ex his appellationibus *roscidus* pauca addi debent. Rorem gigni vespero et lucifero orientibus vetus popularis observatio erat, unde Veneris stellam roris auctorem dixerunt et animalium quaecumque roscida reperiebantur. Quod Plinio probatur N. H. II 38: *(Veneris stellae) natura cuncta generantur in terris; namque in alterutro exortu genitali rore conspergens non terrae modo conceptus implet, verum animantium quoque omnium stimulat.*[1])

memorat. — Quod Strabo Locros publice in sigillo vesperum habuisse tradit (IX 416), id non eo factum est, ut stellam adorarent, sed fortasse ut se ἑσπερίους esse indicarent.

[1]) Praeterea huc referatur N. H. XI 112: *multa autem insecta et aliter nascuntur, atque in primis e rore.*

Hanc vulgarem opinionem, licet primitus vel Romana vel Graeca vel utrorumque fuerit, postea Latinorum poetae excoluerunt. Exemplis supra allatis addam Statium Silv. II 6, 79 et Claudianum XXXV 121, qui Luciferi *rorantem* equum noverunt.

Sed redeamus ad Vesperi et Luciferi nitorem. Astris genus masculinum inditum fuisse modo diximus: iam mirabimur viros quosdam appellatos fuisse Vesperum vel Hesperum (supra p. 12), Luciferum vel Phosphorum (supra p. 19)? In his dandis cognominibus, sive inventores sive imitatores fuerunt Romani, simile consilium certe secuti sunt atque Graeci, qui una cum appellatione pulchritudinem suis tribuere cupiebant. Hoc concludam ex versu Iliadis XXII 318: *Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.* Ita splendor hominum pulchrorum a Romanis quoque comparatur cum nitore Phosphori, Ov. Met. II 722:

> quanto splendidior quam cetera sidera fulget
> lucifer, et quanto te, Lucifer, aurea Phoebe:
> tanto virginibus praestantior omnibus Herse.

Notissimum etiam est quod Platonis nomine fertur epigramma Anth. VII 670:

> *ἀστὴρ πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζῳοῖσιν Ἕῳος,*
> *νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις.*[1])

Similia pulchritudinis humanae cum Lucifero collatae testimonia leguntur: Sen. Apocol. IV 25; Claud. VII 131; Paul. Nolan. carm. XIX 219. Quin etiam pulchri flores inter reliquos tamquam lucifer eminent: Tiberian. I 8 (PLM III p. 264); PLM IV p. 421, no. 520, 5. Sed iam ad Homeri illum locum revertamur. Quem versum cum accuratius spectamus, Graecorum *ἀνθρωπομορφίᾳ* facile esse factum intellegimus, ut Hesperum pulchrum iuvenem esse animo sibi fingerent. Ex hac opinione, ubi semel erat accepta, necessario sequebatur, ut luminis splendorem e face quadam oriri putarent, quae ab illo iuvene quateretur. Quo fit, ut in Graecae artis monumentis fingatur

[1]) In latinum conversum legitur Auson. epigr. 144 p. 425 P.; cf. Boeckh P. L. Gr. II p. 304.

Hesperus pulcherrimus facem gestans (v. infra p. 28). Talia monumenta Latinorum poetis ante oculos versata mihi videntur, cum eandem opinionem versibus exprimerent, hoc sane interdum mutato, quod non fax, sed ipsa stella gestatur a puero. Locos collegi hos: Lic. Calvus FPR p. 320 (*Hesperium ante iubar quatiens*); Claud. XIV 1 sq. (*attollens . . . Idalium iubar . . . nascitur Hesperus*); Paul. Nol. XIX 222; Cyprian. Hept. Gen. v. 635 (= Corp. Script. eccl. lat. XXIII p. 24).

Vidimus iam ex his, quae modo attulimus, Romanorum opiniones primarias postero tempore auctas esse sententiis e Graecia desumptis. Certum quidem est e Graeco haustas esse fabulas, quibus Lucifer in deorum sive heroum genealogiam inseritur. Fusius de his Graecorum commentis egit U. de Wilamowitz-Moellendorff *Herm.* XVIII 1883, 415 sqq. et Weizsäcker in Rosch. myth. lex. s. v. Phosphorus p. 2445 sqq., quare locos enumerare supersedeo. Neque in eo commoror, quod *lucifer* semel Castor dicitur a Statio Silv. IV 6, 16. Nam fabula illa quam volunt esse indogermanam,[1]) stellas vespertinam et matutinam Iovis filios esse, apud Romanos, quantum quidem videmus, non viguit. Neque etiam *vesperi* vel *iubaris* nomina tali fabulae excolendae favebant. Haec igitur omnia tamquam Graecorum ramenta a Romanorum opinione separemus. Saepius autem accidit, ut statuere non possimus, sitne quod legimus Romana an Graeca origine natum. Quam dubitationem removere non potui in eis, quae iam sequentur, de motu Hesperi. Nam stellam in caelo ipso moveri Romani iam antiquissimis temporibus certe ipsi viderunt; excoluisse tamen hanc cognitionem ad Graecorum poetarum exemplum veri est simile.

Sed iam accedamus ad singula. Ut siderum motus explicetur, prisca et simplicissima est opinio pedibus ire stellam velut homines. Huc spectant Verg. Aen. III 588, Culex 203[2]); Ov. Fast. VI 474 (*exit*); Sen. Agam. 820 (*retulit pedem*); Colum. de re rust. X 291 (*remeat*). Cumque subito in caelo appareat

[1]) Vide e. g. Myriantheus: *Die Aqvins oder arischen Dioscuren* p. 24. 53. 118.

[2]) *Procedit Vesper ab Oeta*: hoc Romani a poetis Graecorum receperunt, quoniam Italis vesper non de Oeta monte surgit.

stella, primum passum saliendo perficere putatur: Mon. Germ. hist. poet. lat. med. aev. II p. 142 v. 28 (*assurgit*); PLM V p. 209 v. 470 (*exilit*)[1]; Cyprian. heptat. Gen. v. 635 (*prorumpit*). Sed longa itinera, qualia sunt caelestia stellarum, non pedibus sed curru vel equis conficiebant veteres. Quod humanum institutum ad sidera referentes vespero quoque currum vel equos tribuerunt. Equi Luciferi laudantur: Verg. Georg. I 250; Il. lat. 368; Mart. Cap. VI 592. Axes Ov. am. I 6, 65. Rota Tib. I 9, 62. Curriculum Claud. XXII 439. Posteriore vero tempore iuvenem expeditum non curru, sed equo vehi decebat. Et ea hominum consuetudo astris data est. Sexcentis locis Hesperi equus commemoratur eiusque colores laudantur. Afferam testes Ovidium (Met. XV 189) *albo lucifer exit clarus equo*, Amor. II 11, 56, Trist. III 5, 56; Martialem VIII 21, 5; Statium Theb. II 139, Silv. II 6, 79; Rutil. Namat. I 430; CIL VI 21521. 8; Mart. Cap. II 113[2]), Claudianumque (XXXV 122), qui pulcherrime dixit VIII 561 sqq.:

> quin etiam velox Aurorae nuntius Aethon
> qui fugat hinnitu stellas, roseoque domatur
> Lucifero, quotiens equitem te cernit ab astris,
> invidet.

His opinionibus conveniunt artis quoque monumenta, quibus Hesperus eques est facem quatiens (Sittl *Archaeologie der Kunst* p. 830; Weizsäcker l. c. p. 2447 et 2451) vel adeo equus[3]) stella capiti imposita ornatus et aurorae currum trahens (J. Baier *Gemm. thes.* tab. VIII 1). Unde apparet, quomodo factum sit, ut equi mortales et ipsi luciferi vel phosphori appellarentur (Auson. epit. her. v. 34 p. 84 P).

Neque tamen hoc eis argumentis concludi posse putem veterum quondam Romanorum religionem stellas sibi omnes bestiarum specie praeditas finxisse, sed haec ex recentiore

---

[1]) Conferas Nonni Dion. XII 3: *Ἕσπερος ἀστὴρ θρώσκων ἐκ μεγάροιο.*

[2]) Cui loco Koppio teste adcripsit interpres Germanicus: *des tagosternen ros karo (paratus) uuâre.*

[3]) Hoc plane consentit cum Indorum religione, qui luciferum equum fingebant (Oldenberg *Vedareligion* p. 73. 4; Schrader *Reallexicon der idg. Altertumskunde* p. 673).

Graecorum opinatione fluxisse coniciam, quae quantum in antiquorum arte valuerit quis est qui nesciat? [1])

Eodemque quo hanc sententiam modo ad Graecos relegem luciferum alis praeditum. Huius testis apud illos est Ion poeta (frg. 10 Bergk), qui cecinit *ἀώιον ἀεροφοίταν ἀστέρα .. ἀελίου λευκοπτέρυγα πρόδρομον*. Eum secutum esse puto Valerium Flaccum Arg. VI 527: *roseis it lucifer alis.*[2]) Hic quoque coniecturam Graecae originis monumenta adiuvant pueros alatos aurorae vel soli orienti praemittentia, quorum lucifer facem in altum sublatam, hesperus humi depressam gerit (v. c. *Wiener Vorlegeblätter 1880* Tab. IX 3a).

Incertior origo eius opinionis est, quae stellae prae reliquis membris [3]) caput vel faciem laudat. Nam hoc aut ex operibus arte factis sumebatur, in quibus Vesperi caput conspicitur,[4]) populari quadam opinatione, quae stellas pro capitibus habebat, quae niterent, cum corpus reliquum caligine premeretur. Utut haec res se habet, fuisse eam docetur his exemplis: Verg. Aen. VIII 589 (*lucifer . . extulit os sacrum*, quem locum imitatus est Auson. cent. nupt. 53 = p. 212 P); Ov. Met. XI 570 sqq., XV 789, Fast. V 419; Colum. de re rust. X 290, Tiberian. PLM III 269, 5; Boeth. I 5, 13. Iam intellegimus, quare eius radii dicantur comae, v. supra pag. 15.

Sed redeat unde deflexit oratio. Dum Romanorum opiniones sive primarias sive Graecorum doctrina excultas percensemus, diximus stellae vespertinae motum aut eundo aut vehendo perfici. Utque omnem naturam humana pati putabant veteres, sic etiam fatigari astrum gradiendo et vehendo, et potu balneoque egere. Itaque cum in oceanum abit, lavando et potando recreatur. Hoc dixerunt Silius Ital. VII 639

---

[1]) Vide: Wunderer *Ovid's Werke in ihrem Verhältnis zur antiken Kunst* p. 39.

[2]) Lunae et stellis in universum alas tribuit Manilius I 226, 200.

[3]) Quae raro laudantur. *Pedes* occurrunt apud Senecam loco pag. 27 laudato; *praecordia* lectio in Licentii carmine ad Aug. v. 45 non certa est. v. PRF p. 415.

[4]) Locis passim allatis addam Gerhard *Antike Bildwerke* p. 279 tab. XXXVI, p. 283 tab. XXXVIII; F. Welcker Mus. Rhen. VI 587 adn. 15.

(*renovatus lucifer unda*), Seneca (Phaedra 750: *lotus undis Hesperus*), Avienus II 166. Tali modo recreatus novum iter ingreditur, quod a Graecorum vel orientalium regionum montibus incipi Graecia docuit.[1]) Semel etiam luciferus se accingere ad iter faciendum dicitur, dum in Solis hortis comas ornat (Claud. XXII 472). Eiusdem *ἀνθρωποπαθείας* exemplum cernitur in describendis officiis, quae gerit Phosphorus. Viatoris enim vel calatoris officio ornatur v. c. Ov. Met. XI 296, IV 629, Sen. Thyest. 795, ubi vocat auroram vel stellas; nuntiat aut ducit noctem diemve[2]) plurimis poetarum locis, quorum eligo Cic. FPR p. 298, 1; Ov. Trist. III 5, 55, Her. Epist. XVII 112; Verg. Aen. II 802; Sen. Phaedr. 749, Med. 878, Thyest. 793, Med. 71.

Similis quaedam cogitatio subest, ubi Vesperus stellarum tamquam bubulcus aut custos dicitur. Habet hanc opinionem Ovidius Met. II 114: *Stellae, quarum agmina cogit | Lucifer et caeli statione novissimus exit*: similia leguntur Ov. Met. XI 97; Sen. Herc. fur. 128. Propter celerem eius astrorumque exortum et interitum, quem fugae assimilarunt, de inimicitia quadam cum reliquis sideribus intercedente cogitarunt: *fugat astra* (Sen. Apocol. IV v. 25) *fugit solem vel diem* (Enn. Ann. 547 Vahl.; Hor. carm. II 9, 12; Luc. Phars. II 724). Neque tamen putaverim his duabus imaginibus servari nobis primariam quandam rudissimi populi formam cogitandi, quae stellas pro caelesti pecore habuerit aut de pugna quotidie inter lucem et caliginem commissa cogitaverit. Immo consuetudinem habemus dicendi mere poeticam.

Nobilissimum autem Hespero officium datum erat, ut *lumina accenderet* (Verg. G. I 251) ad faciendas nuptias, quod e more oriebatur nuptam sponso ingruente nocte tradendi. Huius insigne exemplum est Catulli carmen LXII, doctrina Graeca penitus perfusum; eademque sententia recurrit apud Claudianum (XXXV 361). Utque in nuptiis splendor vesperi

[1]) V. supra p. 27 adn. 1. Testimonia addam *Oetae*: Cat. LXII 7; Verg. ecl. VI 86, VIII 30, Ciris 350, Cul. 202; *Olympi*: Verg. Aen. I 374, VIII 280; *Idae* Verg. Aen. II 801 cum Servii scholio; *Casiae rupis*: Luc. X 434.

[2]) Unde semel Ianus audit *lucifer annorum* PLM IV p. 415 no. 506, 1.

optimum omen erat, sic defectus luciferi pessima praesagiebat. Iam antiquissimis temporibus Varro auctores Graecos secutus re vera id accidisse affirmaverat (August. de civ. dei XXI 8); posteriores eo usi sunt, ut ornatum poeticum adderent. Legitur in consolatione ad Liviam (PLM I p. 118) v. 405 sqq.:

sidera quin etiam caelo fugisse feruntur
lucifer et solitas destituisse vias.
lucifer in toto nulli comparuit orbe.
sideris hoc obitum terris instare monebat
et mergi Stygia nobile lumen aqua.

Iam ad finem perduxi, quae de opinionibus vere Romanis et Graecorum sapientia auctis proferre volebam. Qualis imago fuerit, quae omnibus in unum collatis effecta sit, apparebit e Dracontii versibus, quos ultimo loco reservavi (X 470 sqq. = PLM V p. 209):

exilit interea tecturus lucifer astra
puniceo praevectus equo rutilusque micansque
concusso de crine iubar diffundit in orbem
flammigeri roseas praecedens solis habenas.[1])

Sed post Graecos Chaldaeorum[2]) doctrina Romanorum animos inficiebat, qua lucifer facta est stella Veneris. Ut Venus omnium animalium generatrix est, ita et stellam huic deae sacram alicuius momenti in generando Plinii temporibus putabant Romani (N. H. II 38, v. supra pag. 25): quod tum demum factum esse, cum lucifer e Chaldaeorum sententia Veneri tributus esset, per se patet. Hoc iam Nerone imperante factum fuisse docet Lucanus, qui in enumerandis stellis erraticis dicit X 208: *fecunda Venus cunctarum rerum semina | possidet.*[3]) Quin etiam Varronis temporibus haec sententia apud Romanos recepta fuit. Hoc concludatur necesse est e Servii scholio ad

[1]) Hi versus revocant poetae nostratis Hebel (*Alem. Ged.: Der Morgenstern*) carmen:

Woher so früeih, wo ane scho,
Her Morgestern enanderno,
in diner glitzrige Himmelstracht
in diner guldigen Locke Pracht,
mit dinen Auge chlor und blau
und sufer g'wäschen im Morgethau?

[2]) V. supra pag. 21. [3]) Idem I 661: *Veneris salubre sidus.*

Aeneidos I 382: *matre dea monstrante viam* adscripto, qui adnotat Varronem in secundo divinarum libro tradidisse: *ex quo de Troia est egressus Aeneas, Veneris eum per diem cotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentum veniret.* Utque in Aeneae fatis aliquid fuit Veneris stella, ita etiam in Iulii Caesaris, qui ex Aeneae stirpe creatus putabatur. Narrat Ovidius Met. XV 843sqq. Caesaris animam a Venere inter stellas esse relatam. Quodsi hic de stella crinita cogitat, Propertius IV 6, 59 Caesaris animam in luciferum migrasse narrat: *at pater Idalio miratur Caesar ab astro.* Unde vesperum vel ipsius Caesaris stellam dixerunt, ut Vergilius ecl. IX 47: *ecce Dionaei processit Caesaris astrum*, quem imitatus Ausonius Dist. de mens. v. 13 p. 99P cecinit:

inde Dionaeo praefulgens Iulius astro
aestatis mediae tempora certa tenet.

Hanc sententiam irridens Augustinus ait de doctr. Christ. II 21: *sidus quod appellamus luciferum honori et nomini Caesari Romani dicare conati sunt. et fortasse factum esset atque isset in vetustatem, nisi avia eius Venus praeoccupasset hoc nominis praedium.*

Sed procedente imperatorum aetate in dies magis crescebat Chaldaeorum superstitio astrologica apud Romanos et a variis gentilium religionibus recepta mortalium animos sibi devinctos tenebat. Qua de re cum fusius scripserint recentiorum viri docti,[1]) ego longus esse nolo. Varia hominum genera in tutelam stellae Venereae dicaverunt, oratores sacerdotes gratos venustos divites. Haec et alia enumerantur a Firmico Materno, qui Matheseos libri tertii caput sextum totum Veneri dedit: quod adeas peto, si de his opinionibus seriorum temporum certior fieri cupis. Quin etiam e Chaldaeorum ratione natum videtur, quod desultores circenses huic stellae se mandabant. Dicit enim Isidorus orig. XVIII 36, 1: *desultores*[2]) *luci-*

[1]) H. Kopp *Palaeographia critica* III p. 333sqq.; A. Bouché-Leclercq *L'astrologie grecque* p. 88sq. 324sqq.; E. Maass *Tagesgötter* p. 152; Roscher Myth. Lex. s. v. *Planeten* p. 2535.

[2]) Cum in eis quae antecedunt Isidorus de equis agat, Arevalus *(equos) desultorios* scribere malebat. Quod ne probemus, eo impedimur, quod in sequentibus Isidorus XVIII 39 non *desultorios* explicat sed *desultores. equi circenses* cum lucifero comparantur a Cassiod. Var. III 51.

fero et hespero sacraverunt. Desultores autem ii erant, qui de equo in equum transiliebant: idem facere Veneris stella videbatur, quae equum diurnum mutabat cum nocturno.[1])

Late diffusam astrologicam superstitionem a Christianis doctoribus impugnatam esse notissimum est. v. c. affero sanctum Augustinum, qui in Veneris stellam complura dixit de civ. dei VII 15. Sed et ipsi Christiani, licet veterum opiniones plerasque deleverint, novam quandam Romanis attulerunt de lucifero sententiam. Erat enim eis symbolum ut ita dicam daemonis pravissimi, quem Satanam appellabant. Tractum hoc est e Iesaia XIV 12: *πῶς ἐξέπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἑωσφόρος ὁ πρωὶ ἀνατέλλων; συνετρίβη εἰς τὴν γῆν ὁ ἀποστέλλων πρὸς πάντα τὰ ἔθνη.* Hoc licet de rege quodam Babylonico dictum esset,[2]) per falsam interpretationem ad diabolum a deo omnipotenti devictum rettulerunt. Huius doctrinae testis Cassianus est, inst. XII 4: *angelum illum, qui pro nimietate splendoris ac decoris sui lucifer appellatus est, nullo alio quam hoc vitio deiectum caelitus invenimus et ex illa beata sublimique angelorum statione telo superbiae vulneratum ad inferna fuisse conlapsum.* Addit Cassianus Luciferum se deo similem iudicasse, quae accuratius exponit Isidorus de nat. rer. XXVI 11, qui citatis Iesaiae verbis pergit: *qui etiam in caelo super stellas dei dicit se sedem positurum et cadens de caelo confringitur.* Quae pluribus coloribus depingens Rhabanus Maurus (Mon. Germ. hist. II p. 198 str. 16 et 19) luciferum cadentem et tertiam partem siderum secum trahentem describit. Atque plerisque medii aevi scriptoribus lucifer idem est qui Iudaeis Satanas. Hoc stellae Venereae fatum fuit ultimum.

§ 2. De stella canicula.

Fortasse miretur quispiam tractari inter stellas singulares caniculam. Traditur enim a veteribus, quorum nomino Hyginum (Astron. III 34 p. 95 B.), caniculam sidus esse e compluribus

[1]) Vide Stat. Theb. VI 218.

[2]) v. B. Duhm, *Handcommentar zum Alten Testament* III 1 p. 92.

stellis, quarum interdum numerantur viginti, compositum. Sed si imaginem huius sideris contemplatus eris, facile animadvertes artificiosam esse eam neque quemquam eorum, qui prisci fuerunt homines, constellatione sola adduci potuisse, ut eam appellaret caniculam. Fuit igitur alia causa, quae moverit illos, quamque hodie quoque perspicimus, si reputamus illius sideris stellam quandam singularem nomen illud habuisse. Cuius rei testis est idem Hyginus l. s.: *canis habet in lingua stellam unam, quae canis appellatur.* Unde concludemus antiquissimis temporibus stellam singularem ita dictam fuisse, deinde autem, cum huius nominis causa iam non intellegeretur, sidus totum adinventum esse. Stellam autem illam etiam in Italia a priscis Latinis observatam esse per se patet: fervidissimo enim anni tempore horis matutinis clare exoriens summi momenti erat agricolis, qui primi Italorum stellas noverunt.[1] Quos etiam suam appellationem lucido sideri indidisse putaverim. Nam si Graecos secuti essent, non habuissent, cur pro *κύων* ponerent nomen deminutivum caniculam, et genus ei darent pro masculino femininum. Hoc enim monere liceat, similes stellarum appellationes non necessario desumptas esse e similibus exterarum nationum. Quodsi fuerunt, qui Graecos *τὸν κύνα* a Chaldaeis vel Aegyptiis vel Seribus[2] mutuatos esse edicerent, ii refutati sunt a Fr. Boll *Sphaera* p. 180.

I. De caniculae nominibus.

Canicula, ae fem. gen. Vox primum occurrit Ciceronis et Varronis temporibus. Ciceroni antiquo more stella est, non sidus. Exempla afferam de div. I 130: *Ceos accepimus ortum caniculae diligenter quotannis solere servare ... si obscurior et quasi caliginosa stella exstiterit, pingue et concretum esse caelum ...: sin illustris et perlucida stella apparuerit, significari caelum esse tenue*: non distingait de fato 12: *siquis oriente canicula natus est, in mari non morietur.* At Varro iam de signo caniculae

[1] Neque enim ex eo, quod saepius Romanorum viri docti de ortu et occasu caniculae errant, quidquam de eius origine peregrina concludam. Quod fecit Ideler l. l. p. 242.

[2] Hoc volebat O. Keller *Tiere des klassischen Altertums* pag. 190.

loquitur duobus locis; de re rust. I 28, 2: *inde ad caniculae signum dies XXIX*, et ib. I 41, 1: *(fictum), quod inscribitur caniculae signo, commodissime existimatur inseri.*[1]) Post Varronem Ciceronemque caniculae appellatio passim legitur apud scriptores atque poetas, ut designetur aut stella aut sidus, cuius rei exempla quae sexcenta sunt afferre consulto omisi.[2]) Neque enim is usus quidquam notabile habet, nisi quod unus Palladius pluralem numerum praebet, dum scribit de re rust. VIII 6: *sub ortu caniculārum*[3]) et XI 12, 8 *si aestu caniculārum fatigatur*. Proxima est coniectura designari plurali numero plures illas stellas, quibus totum signum componitur. Hoc quoque notatu dignum videtur ubique fere caniculam vocem non adhiberi, nisi ut Graecorum κύων aut σείριος indicetur. Unus Plinius eam appellationem εἰς τὸν προκύονα transferre ausus est, qui dicit N. H. XVIII 268: *procyon . . . quod sidus apud Romanos non habet nomen,*[4]) *nisi caniculam hanc volumus intellegi, hoc est minorem canem, ut in astris pingitur.* Sed illa Plinii translatio nemini posteriorum accepta fuit, nisi uni fortasse Hygino Astron. II 4 p. 36 B: *caniculam dixerunt, quae a Graecis, quod ante maiorem canem exoritur, προκύων appellatur.*[5])

Canicula vocabulum usque ad extremam Latinae linguae aetatem viguit: ut recentissimum quendam nominem, Ioannem Noviomagum affero, qui dixit in adnotationibus ad Bedae de nat. rer. cap. XI ed. Col. Agripp. MDCXII adscriptis: *canicula stella est fixarum omnium maxima in ore canis maioris.* Quod cum ita sit, mirum non est populos recentiores, qui de Latinis descenderunt, veterem appellationem retinuisse: *canicula* est Hispanorum Lusitanorum Italorum, qui tamen et *canicola* dicunt, *canicule* Francogallorum.

[1]) Posteriore loco Varro utitur Theophrasto, qui de eadem re dicit C. P. I 6, 6: διὸ ὁ καὶ ἐπὶ γυνὶ δοκεῖ ἀσφαλέστατος εἶναι κτλ.

[2]) Nonnulla congessit v. d. Haebler apud Pauly-Wissowam s. v. *Canis* III 1481.

[3]) Ubi in cod. Lugd. est *canicularium*, qui idem pluralis numerus est, cui suppleas *stellarum*. Etiam altero loco *canicularium* varia lectio est.

[4]) His Plinii verbis commotus de procyone in dissertatione mea, quae solos Romanos spectat, verba non feci.

[5]) v. Fr. Harder *Astrognostische Bemerkungen zu den röm. Dichtern* pag. 6.

Canis, is gen. masc. Inde ab eodem fere tempore legitur. Occurit enim primum apud Ciceronem, qui saepius hoc nomine in vertendis Arati phaenomenis utitur, ut signum, non stellam appellet (462: *fervidus ille canis toto cum corpore cedit*; 108. 123. 126. 138. 276. 378. 388). Cumque supra dixerimus, *caniculam* significationem stellae esse vere Romanam,[1]) nunc fortasse concludere liceat *canem* postea adinventum esse, quo vocabulo Graecorum signum κύων melius exprimeretur. Post Ciceronem autem huius vocabuli usus valde percrebruit atque etiam ipsius caniculae stellae locum occupavit. Quod permultis testimoniis probatur, quorum sola afferam Isidori verba de nat. rer. XXVI 14: *Sirius stella est, quam vulgo canem appellant.*[2]) Itaque per omnia p. Chr. n. saecula in Latinorum lingua praeter *caniculam* etiam *canis* usurpabatur et pro signo[3]) et pro stella. Cuius usus vestigia remanserunt in lingua Italorum (*can celeste*) et Lusitanorum (*cano celeste*).[4])

De veriloquio vocum *canis* et *caniculae* pauca tantum habeo, quae addam. Veterum qui id quaesiverunt, Varronem unum nomino, qui vocem *canis* aut a catulo aut a canendo derivat (L. L. V 99, VII 32), quorum neutrum doctis recentiore aevo satisfecit[5]); quae hi tentaverint conamina, nuperrime congessit A. Walde *Lateinisches etymologisches Wörterbuch* p. 91, ita ut mihi ea repetere opus non sit.[6]) Cumque Waldius ipse

---

[1]) Neque tamen nimis tribuam posteriorum notis, quibus id confirmari videatur. v. c. Schol. Strozziana et Sangerm. in Germ. Arat. p. 167, 3. 15 Breys.: *Latini autem illam (Sirium) caniculam vocant.*

[2]) v. eiusdem Orig. III 70, 14. 15.

[3]) Ubi procyon quoque respicitur, de duobus canibus, maiore et minore, faciunt sermonem. v. c. Vitruv. de arch. IX 5, 2; Hygin. astron. II 36 p. 74 B., III 35 p. 96 B.

[4]) Quin etiam Germani veterum receperunt appellationem, dum vertunt *Hundsstern*, v. Harsdörffer, *Math. u. philos. Erquickungsstunden* II pag. 275. Neque deerant nostrates, qui paganorum nomen rebus Iudaicis ornare vellent, referentes ea ad illud Davidis (Strauch *Astrognosia* pag. 125) vel Tobiae (Strauch ib.) vel Jezabelis (Schickard *Astroscopium* p. 98: Harssdörffer l. l. p. 278) et historiam et appellationem.

[5]) Unus qui cum Varrone a canendo etymon duxit Crecelius (Höfers *Zeitschrift* III 343) vituperatur a Pottio *Etymol. Forsch.* IV p. 847 adn.

[6]) Qui tamen non commemorat Gildemeisteri opinionem, latere in illa voce radicem sanscriteam *çu*, cui vis sit splendendi, ita ut canis eum qui

illa nomina omnia incertiora dicat, ego in re tam lubrica periculum facere non audeo, vocisque canis originem in dubio relinquo.

Deficiente igitur veriloquio aliunde nobis auxilium petendum est quaerentibus, quomodo factum sit, ut nomen canis vel caniculae stella et signum adipiscerentur. Iam sunt, qui nos ad Graecorum fabulas relegent: veterum dico Aratum eiusque interpretes[1]) Ciceronem Germanicum Avienum et mythographos, quorum Hyginum nominatim affero; qui narrant Orionem venatorem cum cane venatico inter sidera collocatum esse. Quod recentiores nonnulli ita receperunt, ut dicerent veteres postquam Orionem in caelo conspicere consuevissent, canem eius in proximo quaesivisse et constituisse.[2]) Sed licet hac interpretatione melius intellegamus Alexandrinorum carmina, ad definiendam Romanorum appellationem nihil valet, siquidem recte disputavimus, iam priscis Italis eam innotuisse. Illi enim Orionem omnino non noverunt, cum eius signum iugulas appellarent. Itaque vel canem eius ignorabant.

Sed restat alia explicandi via. Si non Orionis, nullius domini canis erat, at eum ideo hoc nomine appellaverant, quod illius stellae canis imaginem componebant. Hanc sententiam ultimus defendit Th. Buttmann *Über die Entstehung der Sternbilder auf der griechischen Sphäre* in Actis Academiae Berolinensis 1826 pag. 30, qui putat perfacile in caelo cognosci posse canis sedentis imaginem atque ideo signum a veteribus appellatum esse. Sed haec opinio iam eo refutatur, quod in antiquorum chartis canis caelestis non sedens, sed currens

splendeat significet, v. H. Usener *Kallone* Mus. Rhen. XXIII 1868 p. 338 adn. 65. Sed ne hoc quidem certum est (H. Osthoff, *Etym. Parerga* p. 199sqq.), licet veteres grammatici, qui de origine stellae appellationis scripserunt, similia cogitaverint: derivat enim Isidorus Orig. III 70 14, canem stellam a *candore* luminis, quod idem recepit Isidori assecla, quem supra pag. 8 nominavimus. Quam etymologiam Isidorus ad Sirium quoque transtulit de nat. rer. XXVI 14.

[1]) Cf. Schol. Germ. Arat. 89. B. Eyss. pag. 421: *Orionis canis dicitur eique tributum quod studio venandi est deditus, ob quod ursae ei proxime apparet et aliae bestiae.*

[2]) L. Ideler l. l. pag. 237; H. Schrader *Die Sirenen* pag. 15; Küntzle *Über die Sternsagen der Griechen* pag. 5; Boll *Sphaera* pag. 189.

pingitur: v. Thiele, *Antike Himmelsbilder* pag. 121. Praeterea nostra quidem sententia non signum sed stella prior cepit appellationem. quamobrem hanc quoque reiciamus explicandi rationem.

Quoniam nec veriloquium nec mythologia nec stellarum compositio nos in explicanda caniculae appellatione adiuverunt, religionem Romanorum adeamus necesse est. Sed id non nostri loci est, quare ad paragraphum quae subsequitur lectorem relegemus.

Sirius, ii gen. masc. Nomen non Romanum sed a Graecis receptum,[1]) id quod iam accusativi casus terminatione Graeca *Sirion* demonstratur, quam exhibet Germanicus Arat. 335: *Sirion hunc Grai proprio sub nomine dicunt.* Inde a Tibulli temporibus — Ciceronis casu quodam interiit testimonium Ar. v. 113 — permultis locis apud Romanos Sirius est stella in lingua sideris canini posita. Neque mirum est, quod postea in universum sidus translata est appellatio, velut a Claudiano, qui XXII 466 Sirium gravidis uvis allatrantem facit.[2]) Sirium non pro substantivo sed pro adiectivo adhibuit Vergilius Aen. X 273: *Sirius ardor*, quod Columella imitatus in extrema versus sede X 281 posuit *Sirius ardor.*[3]) Unde insolita forma *Siria* (scil. astra) legitur in appendice Claudiana II 124 (*dextro iam Siria cessent | sidere*). Sed non solum poetarum hoc vocabulum fuit, immo ad plebem quoque descendit. Sirius hominis cuiusdam nomen fuisse videtur, nam titulus CIL II 140 reminiscitur *Siri patris vici.*[4]) Praeterea hodie quoque in quibusdam gentibus haec appellatio vivit: Itali *Sirio* dicunt, cultiores Francogalli et nostrates *Sirius.*

Praeter Graecorum vocabulum etiam Aegyptiorum appellatio in linguam Latinam sequiore aevo se introduxit. Refert

[1]) Simili modo aliquotiens a Romanorum poetis atque mythographis adhibetur caniculae nomen Maera: haec est *Maîra* illa Graecorum fabulis notissima, cui in explicandis appellationibus Latinis locum concedendum esse non putavi. Itemque cyneum astrum, quod semel apud Chalcidium legimus (comm. Plat. Tim. c. CXXV), graecum fontem sapit.

[2]) Similem in modum dicit Statius silv. I 3, 5: *calido latravit Sirius astro* et Manilius V 207: *latratque canicula flammas.*

[3]) Cf. etiam Prud. Cathem. XII 22.

[4]) Nisi forte nomen ex Syro corruptum est.

enim v. c. Hyginus astr. II 35 p. 74 B. stellam quandam canini sideris Isin fuisse vocatam, quam eandem et Sirion dicit. Sed cum haec appellatio apud Romanos non late viguerit et eius vestigia iam congesta sint a Gu. Drexler (in Roscheri lex. myth. s. v. *Isis* II pag. 434) commemorasse eam satis habeo.

II. De opinionibus cum canicula coniunctis.

Quaecumque Sirium sequebantur veterum opiniones ex eo originem duxerunt, quod stella canina mane oriebatur Iulio mense diebus totius anni calidissimis. Ut erant rudes populi, qui causarum nexum ubique statuere studebant, calorem nimium qui post caniculae ortum ipsos vexabat, propter caniculam accidere putabant et aestum adduci a stella illa existimabant. Cuius rei testimonio sunt etiam epitheta, quae a poetis Romanis Sirio tamquam caloris auctori tribuuntur. Nonnulla afferre liceat.[1]) Sirius appellatur: acer Man. V 207: Valer. Flacc. VI 607. aestifer: Sen. Oed. 39; Rut. Nam. I 638 (PLM V pag. 27). aestifero ortu Mart. Cap. II 98. aestivus Tib. III 5, 2 al. fervidus Cic. Arat. 108. 462. fulgens Mart. Cap. II 98. ignicomans Av. II 1112. portans incendia Man. V 17. siccus Prop. III 28, 4. siticulosus Priap. 63, 2. sitiens Ov. Art. am. II 231. torrens et torrentior Verg. Georg. IV 424: Claud. XI 20.

Vel omisso nomine appellant aestivum sidus Ov. Hal. 117. calidum sidus: Tib. II 1, 47. rabiosum signum (Hor. sat. I 6, 126; (codd. nonnulli et Porphyr.).

Propter calorem allatum Sirius habetur pro stella hominibus invisa. Huc spectant: corruptum sidus Claud. XV 40; iubar grave adversi sideris Stat. Theb. VII 710: immodicus Avien. II 729; invisum agricolis sidus Hor. sat. I 7, 25; igni implacido letalis Stat. Silv. II 1, 216: laevus ignis Stat. Theb. I 634: laevum lumen Verg. Aen. X 275.

Putabant autem huic sideri vim quandam inesse nocendi hominibus agris bestiis nimio calore immisso. Talem autem

[1]) Consulto omisi ea, quae iam J. B. Carter congessit in supplemento ad Roscheri lexicon addito pag. 92.

facultatem prisci homines non aliter mente sibi fingere poterant, nisi ut nocivum sidus numen aliquod malevolum vel *Κακοδαίμονα* esse putarent. Vel huius superstitionis vestigia servaverunt poetae, dum de Sirio haec praedicant:

canis aventi torreat arva siti (Tib. I 4, 42. cf. I 7, 21).
rubra canicula findet infantes statuas (Hor. Sat. II 5, 39).
hiulca siti findit canis aestifer arva (Verg. Georg. II 353. cf. IV 424, Aen. III 141).
nocuit . . . Sirius agris (Mart. IV 66, 13).[1])

Sed non solum agris nocebat Sirius, immo etiam animalibus et hominibus. Itaque dicit Vergilius Aen. X 274: *sitim morbosque ferens mortalibus aegris*, et appellatur Sirius letalis (Stat. Silv. II 1, 216), pestifer (Avien. II 728), protervus (Ov. Am. II 16, 4), insanus (Pers. III 5). Quin etiam effectus quales in homines habeat, patent e vaticinio de infantibus canicula exorta natis dato a Manilio V 220 sqq.:

effrenos animos violentaque pectora finget,
irarumque dabit fluctus odiumque metumque
totius vulgi. Praecurrunt verba; loquentis
ante os est animus, nec magnis concita causis
corda micant et lingua rabit latratque loquendo.[2])

Atque de animalibus a Sirio vexatis paulo ante dixerat Manilius v. 213 sqq.:

cuncta peregrinos orbes animalia quaerunt,
atque eget alterius mundus. Natura suismet
aegrotat morbis nimios obsessa per aestus.

Ita aves Sirium fugere dicit Plinius Nat. hist. XVIII 292 et pisces emori, quando exoritur, ib. IX 58. Sed ante omnia animalia canes a caniculo afficiuntur Nat. hist. II 107[3]):

[1]) Cf. praeterea Ov. Fast. IV 939; Man. I 396. V 209; Priap. 63, 2; Avien. II 728 sqq. et praeter poetas: Colum. II 20, 1.

[2]) Talia carmina, quae pendent e Chaldaeorum astrologia, lucide demonstrant similes opiniones a Babyloniis quoque fuisse excultas quas Romani libenter acceperunt.

[3]) Hoc loco Plinius nonnulla addit de Aegyptiis Sirium verentibus, quibus adiciam similes Indorum superstitiones de aestus daemone Apaosha vigentes, v. Jackson *Die iranische Religion* (Geiger-Kuhn *Grundriss*

canes quidem toto eo spatio maxime in rabiem agi non est dubium et est *rabies canum Sirio ardente homini pestifera* (ib. VIII 152), et oritur morbus *siriasis* (ib. XXII 59 al.).

Vulgari opinioni, quam modo statuimus, effici omnia haec mala a stellae numine malevolo, optime convenit, quod Romani sacrificio quodam piaculari illis calamitatibus mederi studebant Testis est Festus p. 285 M, cuius verba apponam: *rutilae canes, id est non procul a rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandae sacritiae causa sideris caniculae.* Atque statim liceat adnotare manifestum quendam nexum interesse, quantum ad colorem, inter numen cui sacrificatur et animal quod sacrificatur. Saepissime enim a veteribus describitur Sirii lux rutila, v. c. *rubra canicula* (Hor. Sat. II 5, 39), *caniculae rubor* (Sen. nat. quaest. I 1, 6), *multus rubor inbuit ora* (Avien. II 727, cf. 749: *urgetur cursu rutili canis* al.)[1]), ad quos locos etiam *saerum aurum* (Val. Flacc. V 369) proxime accedit. Quare necesse est quaeramus, nonne aliis quoque rebus inter se iungantur rutila stella et rutila bestia. Iam priscis temporibus homines necessitudine coacti animadverterunt canes interdum rabie quadam exagitari. Neque tamen iam tum, quaenam rabiei natura esset, perspexerunt, sed a daemone quodam, qui in aegro animali consedisset, concitari eam putabant.[2]) Qua re factum est, ut posteriore quoque aevo crederent daemonas canum specie indutos vagari. Cuius superstitionis luculenta exempla attulit H. W. Roscher *Kynanthropie* in Actis Societatis Lipsiensis XVII 1896 III p. 27 sqq., cuius unum testimonium repetam e notissimo Philostrati loco

---

der iranischen Philologie II) pag. 672. Neque Graecis damnosa Sirii vis erat ignota. Iam in Iliade legimus XXII 30 sqq.:

> Λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστί, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται
> καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσι.

Alia exhibet Alex. Aphrod. Probl. I 76. Cf. Holland *Heroenvögel in der griechischen Mythol.* p. 10; H. Schrader *Sirenen* p. 15. 16.: Bouché-Leclercq p. 79 adn. 1.

[1]) Aliis locis Avienus laudat lucem Sirii *blandam* (II 740 aut *caeruleam* (II 1376), color ipse varius observatur v. Cic. supra p. 34; Man. I 407.

[2]) v. e. g. M. Höfler *Krankheitsdämonen*, Arch. für Rel. Wiss. II 1899 p. 86 sqq., *Medicinischer Dämonismus*, Centralblatt für Anthropologie I 1900 fasc. 1.

petitum. is auctor in Apollonii Tyanei vita IV 10 narrat, quomodo Apollonius Ephesios peste liberavit. Iussit enim eos senem quendam lapidibus obruere, quod illi, postquam e fulgore oculorum daemonem cognoverunt, fecere: *διαλιπὼν δὲ ὀλίγον ἐκέλευσεν ἀφελεῖν τοὺς λίθους, καὶ τὸ θηρίον, ὅ ἀπεκτόνασι, γνῶναι. γυμνωθέντος οὖν τοῦ βεβλῆσθαι δοκοῦντος ὁ μὲν ἠφάνιστο, κύων δὲ τὸ μὲν εἶδος ὅμοιος τῷ ἐκ Μολοττῶν, μέγεθος δὲ κατὰ τὸν μέγιστον λέοντα ξυντετριμμένος ὤφθη ὑπὸ τῶν λίθων καὶ παραπτύων ἀφρὸν ὥσπερ οἱ λυττῶντες.*

Postea vero gentes cognoverunt rabiem caninam pendere e Sirio exoriente. Non aliter cogitatione id concipere poterant prisci, nisi ut stellae daemonem in terram descendere et singulos canes invadere sibi fingerent. Quo fiebat, ut ipsum illum daemonem sub specie canis rabidi cogitare assuescerent. Atque huius canis furorem, qui homines quoque aggrediebatur, more suo per sacrificium placare studebant. Neque erat difficile iustam victimam invenire. Optime enim monet Servius Verg. Georg. II 380: *victimae numinibus aut per similitudinem aut per contrarietatem immolantur.* Atque stellae aestivae per similitudinem sacrificia deligebant: quae similitudo adeo servabatur, ut rutilae luci rutilae hostiae responderent. Iam intellegimus, cur caninam speciem huic stellae dederint Romani. Neque quod femininum genus masculino praetulerunt, mirum est. Nam Romani furorem inprimis canum feminarum esse putabant, adducti fortasse rabie, qua canis feta catulos defendere solet. Testimonia congessit A. Otto *Die Sprichwörter der Römer* p. 69. Quibus addam Plaut. Capt. 485: *ne canem quidem veritatem voluit quisquam imitarier.* Romanos stellam caninam pro femina habuisse iam ex eo apparet, quod rutilas canes immolaverunt. Qui stellae sexus non auribus percipiebatur, ubi de cane loquebantur: hac fortasse re adducti deminutivam formam praetulerunt dixeruntque caniculam.[1])

[1] Iam a Servio Verg. Aen. X 273 stella canina cum animali comparatur et utrique natura iguea adiudicatur, quae aquam refugiat. Recentiorum C. O. Müller (*Prolog. zu einer wissensch. Mythol.* p. 195) similem viam ingressus dixit: *Das Tier, welches die Einwirkung des heißen Gestirnes am meisten empfindet, wurde mit ihm selbst in kindlicher Anschauung verschmolzen.*

Tali modo e sacro canino cum explicare mihi visus sim, quibus superstitionibus commoti Sirium appellaverint caniculam, gaudeo me hac in re facere cum eo qui novissimus Graecorum similes religiones collegit, Ottone Gruppe. Is enim his verbis utitur (*Griech. Myth. und Religionsgesch.* p. 803): *Der nach antikem Wahn Hitze und Pest bringende Stern ist wahrscheinlich deshalb ein Hundstern geworden, weil man Dürre und Seuchen als die Wirkung hundeähnlicher Dämonen betrachtete.* Hic est Graecorum κύων, quem Romani canem appellaverunt.

Sed iam quaeramus necesse est, nonne alia quoque vestigia opinionum cum Sirio connexarum extent.[1]) Atque primum quidem addam et de tempore et de loco, ubi sacrificium canarium stellae caninae offerebatur, certiores nos fieri veterum testimoniis. De tempore dicit Plinius Nat. hist. XVIII 14: *augurio canario agendo dies constituantur priusquam frumenta vaginis exant et antequam in vaginas perveniant.* Fuerunt igitur feriae conceptivae adulta aestate celebratae[2]) et cum augurio coniunctae. Quoniam vero augurio res futuras explorabant Romani, simile quid hoc sacrificio egisse videntur, atque quae de Ceis (Cic. de div. I 130; schol. Apoll. Rhod. II 498), de Aegyptiis (Pallad. rei rust. VII 9), de Tauriis (Man. I 402) memorantur, qui ex ortu caniculae eventum anni praesagiebant; ex his concludere licet gentes illas caniculae divinam quandam vim tribuisse, qua aut iuvaret aut perderet segetes, quae religio e natura sideris facile explicatur.[3]) Conceptivas fuisse ferias caninas antiquitus Plinius tradit; unde apparet non spectare ad augurium canarium, quae leguntur apud Io. Lydum de mens. p. 152, 21 W.: *τῇ πρὸ τριῶν Νωνῶν Αὐγούστων ἀνήρουν ἀκωλύτως ἐν Ῥώμῃ τοὺς κύνας, ... ἵνα μὴ λυττῶντες τοὺς ἀνθρώπους βλάπτωσι. τηνικαῦτα γὰρ ὁ Σείριος ἀνατέλλει. ὃς καὶ δοκεῖ τῆς*

[1]) Alios quoque Italiae gentes Sirium venerratas esse discimus e Valerii Flacci verbis Arg. I 682 sqq.:

sic cum stabulis et messibus ingens
ira deum et Calabri populator Sirius arvi
incubuit, coit agrestum manus anxia priscum
in nemus et miseris dictat pia vota sacerdos.

[2]) v. G. Wissowa in *Real-Encycl.* II 2329.

[3]) Alias nationes, quibus Sirius in cultu erat, enumerat L. Ideler l. s. pag. 244.

λύττης αὐτοῖς αἴτιος εἶναι. Quae si vera causa est — praeter eam duae aliae afferuntur a Lydo — hoc non sacrificium religiosum erat sed caedes voluntaria hominibus salutaris. Eiusdem generis fuisse fortasse e nomine concludere licet Argivorum canicidium, Athen. III pag. 99 E [1]): τινὰ Κυνοφόντιν ἑορτὴν ποιησώμεθα ἀντὶ τῆς παρ' Ἀργείοις ἐπιτελουμένης.

De loco in quo augurium canarium agebatur, dicit Paulus ex Festo p. 45 M.: *Catularia porta Romae dicta est, quia non longe ab ea ad placandum caniculae sidus frugibus inimicum rufae canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.* Fiebat igitur in ipsa urbe, quod monendum est, quia cum hoc augurio saepius confuderunt sacrificium caninum Robigo deae oblatum, quamquam id via Claudia ad miliarium quintum fiebat. Accedit quod feriae erant stativae a. d. VII. Kal. Mai. (CIL I [2] pag. 316). Neque mirum, quod Robigo quoque canes immolabantur: sacrificium enim est apud Italorum rusticos vulgatum,[2]) qui non Sirii solum daemonem specie canina vagantem cogitaverint. Neque omnino in Robigi sacro commorarer, nisi iam Ovidius id ad caniculam rettulisset. Causam enim, cur exeunte Aprili mense canis immoletur, hanc poetae reddit Robigi sacerdos (Fast. IV 939):

est canis, Icarium dicunt, quo sidere moto
tosta sitit tellus, praecipiturque seges.
pro cane sidereo canis hic imponitur arae.

Sed haec ab ipso Ovidio addi per se patet; neque enim deae Italicae sacerdos suis sacris Graecorum αἴτια fingere poterat. Erravit autem Ovidius, dum sacrificium ad Sirium refert, quem tum oriri putabat (Fast. IV 904 *exoriturque canis*): immo occidit,[3]) neque occidens stella a rusticis sacrificium exigebat. Immo consentiunt omnes sacrum Robigo fuisse datum, v. c. Colum. X 342 sqq.:

hinc mala Rubigo virides ne torreat herbas,
sanguine lactentis catuli placatur et extis.[4])

[1]) Aliter iudicat H. Schrader *Sirenen* pag. 16.

[2]) G. Wissowa *Religion und Kultus der Römer* p. 163, qui fusius de rebus hoc loco tractatis egit.

[3]) v. P. Ovidii Nasonis fastorum l. VI comm. H. Peter II [2] p. 63.

[4]) Neque tribuam quidquam Plinii verbis Hist. nat. XVIII 284 sq.: *Robi-*

Quare hanc Robigi religionem a caninae stellae remotam teneamus.

Iam ad reliquas opiniones, quas veteres Romani de Sirio habuerint, transeam et eas primum afferam, quae Latinorum propriae fuisse mihi videntur. Caniculae exortum nimio calore frugibus nocere iam supra vidimus, quare diligenter observandus iis, qui arboreta colunt (Plin. Nat. hist. XVII 223. 249, XVI 191. XVII 132). Existit interdum morbus vitium, quem caniculae auctori tribuebant. De hoc dicit Plinius (Nat. hist. XVIII 272): *in hoc temporis intervallo* (mensibus Iulio et Augusto) *res summa vitium agitur decretorio uris sidere illo quod caniculam appellavimus, unde carbunculare dicuntur ut quodam uredinis carbone exustae.* Sic Marcellus Empiricus (XIV 64) *uva caniculata* pro remedio utitur. Postea autem morbum ipsum caniculam appellabant; Augustinus ad Psalmum LXXVII 27 ad versum 46 dicit: *rubigo occulte nocet; quam etiam aeruginem nonnulli interpretati sunt, alii caniculam*, e quibus verbis quam arte cognati fuerint rubigo et canicula, quae utraque canino sacrificio placabatur, elucet.

Saepius autem fiebat ut sacris rite perpetratis calor laxaretur et ira caniculae videretur esse delenita. Cumque laetae maturescerent tum segetes, homines eo adducti sunt, ut adiuvandi quoque vim caniculae inesse putarent. Quae potestas saepius laudatur (Tib. II 1, 47; Colum X 400), imprimis vitibus ad maturandum utilis (Pers. III 5; Claud. XXII 466). Cum hac opinione cohaerere putaverim superstitionem, mel quod Sirio oriente ex aethere labatur salutare esse, quam tangit Plin. Nat. hist. XI 30. 37. Neque tamen ad unum Sirium sese applicaverat, sed omnino in nobilium siderum exortu mella pro medicamentis esse putabant. Sed quoniam hoc mel ipso Plinio teste (§ 36) graece horaeon vocabatur, fortasse hanc

galia . . aguntur a. d. VII. Kal. Mai. . . quod . . in IV. Kal. Mai. canis occidit, sidus et per se vehemens et cui praecoccidere caniculam necesse sit: in quibus verba *praecoccidere caniculam* et dubium sensum et errorem habent. Nam aut referuntur ad catulum sacrificatum — id quod voluit L. Ideler l. s. pag. 254, sed propter vocem praeoccidere minus placet —: tum non de Sirio, sed de Robigo dicendum erat: aut referuntur ad stellam caniculam, quam stellarum, quibus imago canina componitur omnium fere primam occidere facile videre potes.

opinionem primitus graecam fuisse existimabimus. Itemque diiudicare non audeo, utri populo tribuenda sit sententia saepius apud Romanos cum scriptores tum poetas obvia geminari Sirio solis vim, quae ex eo videtur derivata, quod re vera oriente Sirio geminabatur calor terrestris, ut ait Manilius V 208: *geminatque incendia Solis*. Reliqui huius rei testes sunt Plin. Nat. hist. II 124. XVIII 270; Sen. Oed. 39; Colum. II 20, 1. X 400; Stat. Theb. IV 692; Veget. Art. veterin. III 36. Isid. orig. III 70, 14.

Iam certe Graecae sunt opiniones, quae cum Graecorum nominibus coniunctae traduntur. Velut cum Plinius narrat Nat. hist. XXXI 50 nonnullos fontes a canis ortu frigidiores fieri solere Pellae et Chio in insula. Haec reicienda sunt ad Graecorum de fontibus mirabilibus narrationes.[1]) Eodem modo se ipsas produnt Graecorum fabulae ad Sirium spectantes, licet sermone Latino proferantur. Quae sunt de cane Orionis (Interpretes Arateorum; Hygin. Astr. II 35 p. 74 B), Icarii (Ov. am. II 16, 4; Hygin. Astr. II 35 et 4; Stat. Silv. IV 4, 13; Stat. Theb. IV 776; Serv. Georg. I 218), Erigones (Ov. Fast. V 723; Priap. LXII 2; Colum. X 400; Mart. XI 69, 4; Hygin. Astr. II 4; Stat. Theb. IV 692), Cephali (Hygin. Astr. II 35 p. 73 B).

Singularis quaedam fabula narratur a scholiasta Germanici (Breys. p. 94, 19), canem adamasse Oporam et adiutum esse ab Aquilonibus: hoc recentius Graecorum inventum esse per se patet, ut explicarent observationem physicam, quam notavit Plinius (Nat. hist. II 123. 124. 130), aquilones caniculae tamquam prodromos esse.

Ad exteros fontes, sive Graecos sive Aegyptios statuere mavis, redire videntur etiam ea, quae de Sirio exundationis Niliacae auctore traduntur. Ita Plinius Nat. hist. V 56 e Timaeo mathematico narrat exundationem fieri *a canis exortu per introitum solis in leonem*. Similia tradunt Luc. X 226; Sen. Nat. quaest. IV 2, 1; Claud. carm. min. XXVIII 33 sqq.[2])

Posteriore demum aevo Chaldaeorum ad Sirium spectantes doctrinae a Romanis receptae sunt. Iam supra pag. 40 e

[1]) v. C. Landi *Stud. ital. di Filol. class.* III 1895 pag. 531 sqq.

[2]) Qui etiam de cane Nilum hauriente verba facit, quod spectat ad calorem aestivum umores siccantem (Man. V 211; Col. X 41).

Manilio statuimus Romanos illorum astrologiam secutos eos qui sub cane nati erant natura fervida natos putasse. Ex eadem disciplina Cicero exemplum sumpsit, quod de fat. 7. 8 fusius tractatur: *si quis oriente canicula natus est, in mari non morietur.* Si Plinius Nat. hist. XI 37 optimum esse mel dicit *si servetur sirio exoriente casuque congruat in eundem diem, ut saepe, Veneris aut Iovis Mercurive exortus*, hoc iterum e Babyloniorum sapientia traxit. Nec non apud Firmicum Maternum eius vestigia restant, qui haec de Sirio VIII cap. X refert: *quicumque hoc oriente sidere nati fuerint effrenatos animos ad omne studium praeposteri facinoris applicabunt. Erunt etiam ab omni humanitatis gratia separati, et qui libenter omnia violentiae studia sectentur, furiosi, iracundi, terribiles, minaces et quos omnes homines et oderint pariter et metuant . . . si vero hoc sidus in occasu fuerit inventum et ♂ aut in ipso loco fuerit, . . . a lupis comedentur aut a canibus vel feris dissipati vitam suam misera laceratione consument.*

Videmus igitur priscos Romanos aestivam stellam pro daemone specie caniculae rufae vestito habuisse, quem sacrificiis idoneis placere studebant, posteros autem natura rerum melius cognita tamen exortum eius ut hominibus pestiferum timuisse. Quo fit, ut plerumque apud Romanos stellam ibi commemoratam inveniamus, ubi poetice describantur aestatis incommoda. Locis permultis iam supra allatis addere iuvat v. c. Statii Silv. I 3, 5: *calido latravit Sirius astro*, ib. II 1. 216: *implacido Ictalis Sirius igni.*[1]) Nautis non semper usu fuisse videtur caniculae observatio: unum tantum locum habeo, quo hoc demonstretur, Aetnae carminis v. 246 sqq.[2]):

> scire vias maris et caeli praedicere cursus
> quo vocet Orion, quo Sirius excubet ignis.

Praeter poetas autem ipsum populum minutum varias superstitiones de stella canina fovisse intelleximus, quas Chaldaeorum astrologia auctas diu permansisse est credibile.

[1]) v. etiam Sen. de Corsica v. 6 (PLM IV 56); Avien. II 728. 750.
[2]) v. Sudhausii commentarium (Teubn. 1898) p. 136.

§ 3. De Arcturi stella.

Arcturum stellam, id quod iam in prooemio supra monui, hoc loco adieci, licet appellationes aut religiones Romanas cum eo coniunctas habeamus nullas, nam Graecae omnes sunt. Unde sequitur priscorum Latinorum significationem aut omnino non exstitisse aut graecis vocibus postea repressam esse: quam quaestionem hoc loco nondum diiudicare audeo. Tamen arcturum recipere non dubitavi, quia sequiore aetate summa apud Romanos vi fuit saepissimeque a scriptoribus et vinctae et solutae orationis usurpatur. Cum vero initio non pro sidere sed pro stella singulari arcturum habuisse videantur veteres, eum in primo capite commemorare malui quam in secundo.

I. De Arcturi nominibus.

Arcturus, -ri gen. masc.: Graecis ἀρκτοῦρος inde ab Hesiodi aetate notus erat (op. 566), qui unam illam stellam ita appellat, e qua postea totum sidus nomen traxisse videtur: ἀστὴρ Ἀρκτοῦρος. Posteriore autem tempore demum totum sidus, e quo eminet, appellatum esse veri simile est, si reminiscimur eorum, quae supra p. 34 de Sirio dicta sunt. Primus, quantum nos videmus, de signo Lysias dixit (Harpocr. s. v. ἀρκτοῦρος). Quam ob rem non miramur, quod in Rudente Plautina, quae primam Arcturi memoriam apud Romanos servavit, sideris significatio inveniatur, vs. 3 sq.:

ita sum, ut videtis, splendens stellā candidā,
signum quod semper tempore exoritur suo,

et vs. 70:

nam Arcturus signum sum omnium acerrimum.

Sed praeter Plautum per omnia fere Latini sermonis tempora duplex appellationis usus et stellae et sideris extabat, cuius rei exempla quot manserunt congesta sunt in Thesauro linguae latinae II 472 sq., quae omnia repetere taedet. Duo tantum afferam: orationis solutae testem Varronem, qui et ipse de universo sidere cogitat (de r. r. III 16, 34: *antequam totus exoriatur*

arcturus) et poetarum Ciceronem, qui Aratum imitatus dicit de stella singulari Arat. v. 304 sq.:

existet pariter larga cum luce Bootes
cuius in adversa est Arcturus corpore fixus.

Posteriore autem aevo factum est, ut a Latinis inter se confunderentur arctus et arcturus.[1]) Testis est Isidorus, qui de nat. rer. XXVI 3 dicit: *Arcturus est ille quem latini septentrionem dicunt*, et paulo infra: *per hunc arcturum id est septentrionem*. Cum Isidoro faciunt Arati interpretes recentiores, v. E. Maass, Comment. in Arati rell. p. 104 (*Ἄρκτοι δύο* = *Arcturi duo*), 134 (*Ἀρκτοφύλαξ* = *Arcturi custos*), 180 sqq. al., et schol. Germ. Arat. p. 114, 4 et 19 Breys.: *Arcturus minor, qui a pluribus Phoenice, a Graecis Arctophylax, a nonnullis canis cauda vocatur*. Idem error apud scriptores Christianos in commentariis sacrae scripturae adiectis legitur, vide Hieronymum ad librum Iob XXXVII 9, XXXVIII 31.

Quae cum ita sint, non nisi docta quadam recordatione factum esse videtur, quod apud Latinorum nepotes, qui hodie sunt, vera appellatio resurrexit: recte occupant Itali et Hispani vocem *Arcturo* pro sidere; Francogallis est *Arcture*.[2])

De nominis veriloquio pauca tantum addam. Servius ad Verg. Aen. I 744 contendit: *Arcturus stella est post caudam maioris ursae posita in signo Bootae, unde Ἀρκτοῦρος dicta est, quasi Ἄρκτου οὐρά*.[3]) Recentiorum Servium solus secutus est J. Vossius l. l. s. v. arctos. Sed non docent hi, qua ratione *οὐρὰ* abierit in *οὖρος*. Quare plaudere malim Buttmanno l. c. p. 28 et Idelero l. c. p. 47, qui exitum vocis habent pro *οὖρος* h. e. custode, ita ut *ἀρκτοῦρος* idem sit quod *ἀρκτοφύλαξ*. Quae cognominatio facile oriebatur, ubi ursae appellatio constabat. Quaeritur tamen utrum custodiat ursam an ab

[1]) Simili modo in plantae cuiusdam nomine dubius est Plinius Nat. hist. XXVII 33: *Arction aliqui potius arcturum vocant*.

[2]) Hoc nomen reprimere tamquam paganum s. XVI. Christiani conati sunt stellam Elisam aut Nimrodum appellantes, v. Bartschium, *Planisphaerium* p. 80 s. v.

[3]) Cum Servio concinunt v. c. Isidor. orig. III 70, 9 et scholiasta Germanici modo laudatus (*canis cauda*).

ursa reliquas stellas. De hac re infra, ubi de opinionibus loquar, fusius agam.[1])

Arctophylax, *-acis* gen. m.: nomen ἀρκτοφύλαξ a poetis Graecorum dactylicis adinventum videtur, ne semper graviore voce spondiaca ἀρκτοῦρος uterentur. Primus, quantum video, Aratus hanc appellationem adhibuit (Phaen. 92), totum sidus designare cupiens. Unde fit, ut a Romanis quoque poetis usurpetur, ubi de sidere agunt. Primus eorum Cicero est in Arateis, v. c. frgm. 16, 1 = de nat. deor. II 109:

Arctophylax vulgo qui dicitur esse Bootes.

De reliquis huius nominis formis et testimoniis iterum ad Thes. ling. lat. relego vol. II 470.[2]) Cumque apud poetas fere solos reperiatur haec vox, non dubito, quin per poesin se in recentiorum linguas introduxerit, quarum habent Hispana *Arctófilax*, Francogallica *Arctophylax*, Itala *Arctofilace*.

Hanc appellationem compositam esse per ἀρκτο- et φύλαξ per se patet. Quare de veriloquio nihil addendum est. De quali autem ursae custodia veteres cogitaverint infra nobis erit explicandum.

Bootes, *-ae* vel *-es* gen. m.[3]): appellatio item ex graeco sermone hausta, obvia primum apud Homerum (Od. V 272: ὀψὲ δύοντα Βοώτην), quae quia aptam hexametri clausulam efficiebat, accepta est ab Arato (Phaen. 92) et per Arati interpretes ad Latinos pervenit, quorum poetae et ipsi inde a Cicerone (Arat. l. l.) usque ad Claudianum (XXI 123) versum Bootae nomine claudere didicerunt. Ut Homero et Arato, sic Romanis plerisque hac voce sidus, non stella intellegitur, solum Martianus Capella VIII 832 et Isidorus de nat. rer. XXVI 5 *Bootis* sive *Bootem stellam* commemorant, quam in Arctophylace posuit. Interdum etiam, quod ex Arcturo cum ursa maiore confuso sequebatur, habebatur pro ursa minore. Cuius rei

[1]) Iam hic tamen reicere lubet Buttmanni coniecturam artificiosam nimis et excogitatam: *Den Bärenwächter aber nannte man diesen Stern ohne Zweifel nur aus einer praktischen Ursach, nehmlich weil er dem Ungeübten diente, die dem Schiffer so wichtigen Bären schnell aufzufinden.*

[2]) Neque moror in levi scribendi rationis varietate, velut Arctophilax (Avien. II 257 et schol. Germ. Arat. p. 114, 19 B) aut Arctofylax (Serv. in Verg. Georg. I 67).

[3]) De singulis formis huius vocis apud Romanos obviis v. Sniehotta l. l. pag. 36.

testis est Isidorus de nat. rer. XXVI 5: *Bootes stella est . . . qui etiam ab antiquis arctophylax dicitur sive minor arctos, unde et quidam eam septentrionem dixerunt.* Videmus ergo ne hanc quidem appellationem a Romanis satis firme esse receptam. Tamquam doctam vocem hodie habent Itali *Boote*, Hispani *Bootes*. Francogalli autem praeter *Bootis* popularem habent appellationem *bouvier*.

Hac voce ad quaestionem de nominis *Βοώτης*[1]) origine traducimur. Apparet eam a stirpe *βο-* vocis *βοῦς* formatam esse eodem modo quo *δημ-ώτης*, *ἰδι-ώτης*, *Ἰταλι-ώτης* alia. Quod si verum est, significat eum, qui inter boves vitam degit, ut *ὁ Ἰταλιώτης* in Italia, *ὁ δεσμώτης* in vinculis vivit. Hoc apertum et planum veriloquium antiquis cognitum fuisse ex eo apparet, quod et verbo *βοωτεῖν* (Hes. op. 391) et *βοωτία* (Suid. s. v. *βοωτίαις*) utebantur.[2]) Est igitur bubulcus, qui ideo appellatur, quod prope magnum illud reperitur signum, quod non solum *ἄρκτον* vel ursam sed etiam *ἅμαξαν* vel plaustrum dixerunt.[3]) Utque ex ursae appellatione ursae custos, sic ex plaustro, quod inhabile curriculi genus tardissimae motionis non ab equis, sed a bubus trahitur, bubulcus factus est, qui ipsius plaustri iumenta dirigit. Rectissime Vossius ad Arati vss. 91—95 adnotat: *Das größere Drehgestirn, als Bärin gedacht, hat hinter sich den Bärenhüter Arctofylax, als Wagen vor sich den Bootes.* Itaque Latinorum poetae eum plaustri bubus minitantem inducunt, velut Man. I 316 sq.:

. . . Bootes
quod similis[4]) iunctis instat de more iuvencis.

Solus per se stat Martianus Capella, qui VIII 808 maiorem et minorem ursam veterum Latinorum oculis intuens pro septenis bubus habuit, quibus Booten pastorem adiunxit:

illinc bis septem solitus servare Triones
pastor Hyperborea resplendet luce Bootes.[5])

[1]) Unde nomen viri proprium *Βοώτης* (Hippocr. p. 984 D) e sideris appellatione pendeat necne, haud scio.

[2]) Itaque necessarium non est acquiescere in Vossii explanatione, qui ad *βοῦς* et *ὠθέω* refugiebat.

[3]) De quo vide infra c. II § 1. [4]) *stimulis* Bentley.

[5]) Coniecturam Graecorum *τὸν βοώτην* et ipsum primitus boum custodem fuisse infra accuratius castigabo.

Neque deerant inter Romanos, qui graeca nomina, de quibus modo diximus, in suum sermonem converterent. Qua in re proximum erat, ut arcturus et arctophylax verterentur in *custodem Arcti* (Vitr. IX 4, 1), *custodem Arcturi* (comm. in Arat. passim) aut in *custodem ursae* (Ov. Fast. II 153. Trist. I 4, 1. I 11, 15), vel etiam simpliciore modo *custos* (Vitr. IX 4, 1) aut *custos septentrionis* (comm. in Arat. p. 117, 5. 123, 15) dicitur. In unum confusi et Bootes et Arctophylax sunt a Statio (Theb. I 693 *portitor ursae*, v. Arat. Phaen. 93 ἁμαξαίη Ἄρκτος) et Beda Venerabili (*custos plaustri*; v. E. Maass l. l. p. 584)[1]. Sed haec exquisitioris doctrinae vocabula numquam popularia fuisse videntur.

II. De Arcturi stellae opinionibus.

Ut Arcturi nomen sic etiam opiniones quae de eo ferebantur a Graecis acceperunt Romani. Illis erat σινγὸς ἐπ' Ἀρκτούρῳ ναύταις πλόος (Anth. Pal. VII 495), itaque his custos Arcti procellarum nuntius. Cuius doctrinae testis disertissimus Plinius est, qui dicit Nat. hist. XVIII 278: *ante omnia autem duo genera esse caelestis iniuriae meminisse debemus: unum quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellae ceteraque similia intelleguntur; quae cum plenilunio acciderint, vi maiore impelluntur. Haec ab horridis sideribus exeunt, ut saepius diximus, veluti arcturo Orione haedis.* Primus autem qui talem Graecorum opinionem recepit Plautus est τῆς νέας κωμῳδίας imitator, qui Arcturum inducit loquentem Rud. 69 sqq.:

> increpui hibernum et fluctus movi maritumos.
> nam Arcturus signum sum omnium acerrimum:
> vehemens sum exoriens, quom occido vehementior.

Persimili modo post Plautum a poetis Romanis Graecorum asseclis commemoratur Arcturus, ubicumque tempestatum signa proferuntur. Nominasse sufficiat Horatium (c. III 1, 27) Ovidium (Trist. I 4, 1; ex Ponto II 7, 58) Claudianum (XV 501). Quae opinio ex eo erat orta, quod eis anni temporibus,

[1]) *Custos planetarum* appellatur a Brideferto Ramesiensi, Bedae scholiasta, v. Bed. de nat. rer. XI cum glossis.

quibus Arcturus aut vesperi oriebatur aut mane occidebat, procellosius mare esse solebat. Quod docemur a Vegetio mil. ep. IV 39: *a die VI Kal. Iunias usque in Arcturi ortum, id est in diem VIII. decimum Kal. Octobres, secura navigatio creditur, quia aestatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: post hoc tempus usque in tertium idus Novembres incerta navigatio est et discrimini proprior propterea, quia post idus Septembres oritur Arcturus, vehementissimum sidus. Et VIII. Kal. Octobres aequinoctialis evenit acerba tempestas.*

Qua in re adnotandum est, id quod iam de canicula diximus, veteres quae post sidus exortum fiebant per hoc ipsum sidus facta esse putasse: ita hoc loco tempestates moventur ab Arcturo, vehementissimo sidere.[1]) Si autem a Graecis semel didicerant Romani arcturum appellare et observare, de reliquis opinionibus iam dicere non possumus utrum a Graecis eas transtulerint Romani an sua ipsorum observatione adinvenerint. Quibus adnumero quod non in mari tantum dominabatur, sed etiam in terra ventos pluvias grandinem frigus movebat, quo fiebat, ut praeter nautas rustici quoque arcturi periodum observarent, ut qualis tempestas futura esset divinarent. Incidimus in talem observationem apud Columellam XI 2, 21: *IX. Kal. Martii Arcturus prima nocte oritur, frigidus dies Aquilone vel Coro, interdum pluvia.*[2]) Ib. 43: *XI et X Kalendas Iunias Arcturus mane occidit, tempestatem significat.*[3]) Quin etiam eius momenti arcturus agricolis fuit, ut ad eius ortus et occasus varia opera rustica describerentur, quae enumerare longum est: commemorata ea invenies apud scriptores rei rusticae v. c. Varronem R. r. I 35, 2. II 1, 18. II 2, 13. III 16, 34; Vergilium Georg. I 68. 229; Columellam II 10, 21. IX 14, 10. 17, 18; vide praeter hos Plinium Nat. hist. XI 43. XVI 99. XVI 188. XVII 131. 134. 230. XVIII 137. 202. Sed omnibus his locis quos modo enumeravi hoc commune est, quod arcturo

[1]) Eandem sententiam tradit Plinius Nat. hist. II 108; vide etiam Solin. XI 25, Serv. Verg. Georg. I 67.

[2]) In veterum varias rationes definiendi arcturi ortus et occasus inquirere consulto supersedi, ne longius abs incepto traherer.

[3]) Vide etiam Plin. Nat. hist. XVIII 311; Colum. XI 2, 21. 45. 63. 65; Claud. XXI 123.

tantum utuntur, ut tempus definiant: de vi arcana ipsi insita non cogitatur. Neque omnino multae opiniones cum Arcturo conexae inveniuntur. Nam ad frigus in arcturi exortu naturam dominans referendum est, quod Plinius puteos circa arcturum rigere dicit (Nat. hist. XXXI 50), quod poetarum sermone expressit Claudianus XXXVI 225: *verna nec iratum timeant virgulta Booten.* Cum autem pridie id. Sept. exoreretur (Plin. Nat. hist. XI 41), propter illorum dierum aestum eum vites oleasque exurere putabant (Plin. Nat. hist. XVIII 287), favere autem melli ericaeo (Plin. Nat. hist. XI 41) et oleo (ib. XV 9). Etiam quod idem Plinius tradit (ib. XI 102) arcturi occasu effici, ut locustarum altera proles annua nasceretur, non tam superstitioni quam naturae observationi videtur deberi, utrum a Graecis an Romanis factae dubium.

Atque haec quidem hactenus de opinionibus Arcturi orientis et occidentis observatione natis. Iam dicendum est de sententiis ad appellationes eius additis. Quicumque eum ursae custodem appellabant, hoc faciebant, quia sidus illud splendidissimum iuxta emicans ursa appellabatur. Atque quaerendum est, utrum hi de custode quodam cogitaverint, qui ne ursa evaderet, positus esset, an de custode, qui gregem pascentem ab ursa custodiret. Ubicumque veteres expressis verbis sententiam suam dicunt, custos est ursam, non gregem, custodiens. Dicit enim Cicero Arat. frgm. 16. 1 graecum suum auctorem secutus arctophylacem esse appellatum *quod quasi temone adiunctam prae se quatit ursam*, quocum posterorum complures consentiunt.[1]) Sed ut dicam quod ego sentio: haec opinio artificiosior est, quam quae in rudiore adhuc gente nasci potuerit,[2]) praesertim illis temporibus, quo Arcturi nomine stellam non sidus appellaverunt[3]): tum hanc unam stellam splendidam pro custode habuisse Graecos putaverim, reliquas vero eiusdem sideris stellas pro grege, quem arcturus ab ursa custodiebat.[4])

[1]) v. Ov. Fast. II 190; Hygin. Astr. II 4; Isidor. III 70, 8.

[2]) Buttmann l. c. p. 28: *Der Begriff eines Bärenhüters ist freilich kein so natürlicher aus dem wirklichen Leben genommener wie der des Ochsentreibers.* [3]) v. s. pag. 48.

[4]) Simili modo ὁ χαλαζοφύλαξ (Plut. mor. pag. 700) non custodit, sed observat grandinem.

Sed praeter custodem ursae de bubulco quoque cogitaverunt Graeci. Etiam in hac appellatione periculum faciam. Dixerunt enim plerique [1]) bubulcum eum esse, qui plaustri boves impelleret. Cum vero plaustri temonem tantum et rotas, non iumenta viderint veteres,[2]) proxima est coniectura antiquitus bubulcum eum fuisse, qui boum gregem ab ursa custoditum prae se egerit. Itaque ego, si audacius coniecturo eloqui licet, putaverim illo tempore, quo arcturus stella erat, non sidus, τὸν βοώτην stellam fuisse eam, quae reliquis imminet tamquam pastor gregi praecedenti, qui idem gregem suum ab ursae incursione defendit.

At si umquam talis veterum Graecorum opinio fuit, mox obruta est sententia eorum, qui arcturum ursae tamquam pedissequum adiecerunt. Quorum opinio fabulas et poetarum narrationes protulit, qui ursae custodem vario modo explicaverunt. Sed priusquam ad eas transeam, unum addam, quod gravius mihi videtur. Quodsi ursae custos appellatus est ex ursa, tempus fuisse veri est simile, quo ursa ipsa observabatur et appellabatur, ursae vero custos nomine dictus nondum erat. Quodsi verum est, non mirabimur nos ursae nomen habere vere latinum, septemtriones dico,[2]) bubulci non habere. Itaque necessarium non erit sumere Bootis nomen latinum graeca appellatione fuisse repressum, immo veri similius videtur, Latinos illo tempore, quo arcturi appellationem accipiebant, septemtriones iam suo nomine appellasse, ad arcturum autem animum nondum advertisse.

Iam ad arctophylacis fabulas accedamus. Notissima inter Graecos erat narratio de Callistone eiusque filio Arcade, quorum illa in ursam, hic in custodem conversi sint (Hyg. Astr. II 1 et 4), quam narrationem inter Romanos praecipue excoluit Ovidius (Met. II 496 sqq., Fast. II 153 sqq.).[3]) Alii Booten eundem esse dixerunt quem Icarium Liberi patris satellitem, qui a rusticis furentibus occisus inter sidera relatus sit (Hyg. fab. CXXX p. 107 B). Explicationem huic rei addit idem Hygmus astr.

[1]) v. adnotationem p. 54 n. 2 et v. c. Serv. Verg. Georg. I 67: (*Arcturus*) *bootes, quod boves cum plaustro agat.*

[2]) V. infra c. II § 1.

[3]) Vide etiam Ov. Fast. VI 235; FPR 361, 3; Avien. II 259.

II 4 (p. 35 B): *dicunt Icarum, cum a Libero patre vinum accepisset, statim utres plenos in plaustro imposuisse: hac re etiam Booten appellatum.*[1]) Secundum alios autem (Hyg. ib. p. 38 B) Bootes Philomelus quidam erat, Cereris et Iasonis filius, quem putabant *boves duos emisse et ipsum primum plaustrum fabricatum esse. Itaque arando et colendo agros ex eo se aluisse, cuius matrem inventa miratam, ut arantem*[2]) *eum inter sidera constituisse et Booten appellasse.* Quae explicationes non solum veterum poetarum fabulas sed etiam posteriorum studium sapiunt secundum rationem omnia explicandi.

Intellegitur ex his fabulis, quomodo factum sit, ut nonnulli Romanorum poetae Graecos videlicet secuti Arcturum tamquam hominem depinxerint inter astra degentem. Quod inprimis Plautus fecit in Rudentis prologo, ubi loquens inducitur Arcturus, cuius verba infra in capite tertio fusius tractabo. Fortasse qui ibi Arcturum agebat histrio bubulci more indutus erat, quale sidus depingitur in codicibus Germanici (Thiele l. l. p. 96) et quale describitur iam ab Arato vs. 91:

. . . . . φέρεται ἐλάοντι ἐοικώς
Ἀρκτοφύλαξ, τὸν ἢ ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην.

Hominis instar bubulcum vivere ac citius aut tardius moveri poetarum locus communis est, videas Ov. Met. II 176; Stat. Theb. I 692, X 328; Claud. XXXV 190. Similis ratio inest in epithetis, quibus ornatur Bootes a Latinorum poetis, quae longius explicare opus non erit: arduus Germ. Arat. 596; Avien. II 260; ingens Avien. II 1303; iratus Claud. XXXVI 225; piger Ov. Fast. III 405; Iuven. V 23; Claud. XXXV 190; placidus Mart. VIII 21, 3; rapidus Av. III 189; rigens frigore arctoo Octav. 234; serus Prop. IV 5. 35; tardus Cat. LXVI 67; Germ. Arat. 139; Oct. 233 al.; velox Luc. III 252.

[1]) Huc respiciunt Romanorum poetae cum Booten *seniorem* (Mart. Cap. II 98) vel *senem* (Sen. Med. 315) nominent: est enim in fabula illa Icarius Erigonae filiae adultae pater, itaque aetate iam provectior. Alludunt huc praeter illos Germ. v. 90; Ov. Met. X 450; Prop. III 31, 24; Tib. IV 1, 9; v. Eratost. cat. rel. ed. Robert p. 39, 79 et E. Maass Anal. Erat. (Philol. Untersuch. VI) p. 100. 120.

[2]) Aratoris fabulam de sphaera barbarica desumptam esse demonstrat F. Boll l. c. pag. 229 sqq.

Inprimis autem plaustri aurigam eum esse volunt, cuius rei testes locos afferam hosce: Ov. Met. X 447 (*flexerat obliquo plaustrum temone*), Prop. IV 5, 35 et Sen. Ag. 70 (*versat boves et plaustra*), Val. Flacc. VII 457 (*sidera et se flexerat*), Germ. 139 (*sequitur sua plaustra*), Gaetul. FPR 361, 3 (*resupinat plaustra*), Cic. Arat. frgm. 16, 2 (*quasi temone adiunctam prae se quatit arcton*), Octav. 234 (*plaustra regit frigore Arctoo rigens*), Sen. Med. 315 (*sequitur flectitque plaustra*), Auson. VII 26, 19 p. 108 Peip. (*servat arcera*)[1]), Mart. Cap. II 98, 3 (*succendit arduus plaustra*), Isidor. origin. III 70, 8 (*plaustro haeret*).

Praeter motum arcturi humanum in modum procedentis variae eiusdem sideris praedicantur facultates a Romanorum poetis. Indicat enim anni tempora ut apud rei rusticae scriptores, inprimis veris vel autumni initium (Plaut. Rud. 69, Verg. Georg. I 67, 229, Claud. XXXVI 225), secundum positionem indicat noctis aut initium (Mart. Cap. II 98) aut mediam noctem (Ov. Met. X 447, Stat. Theb. I 692) aut extremam (Ov. Trist. I 11, 15; vide etiam Prop. IV 4, 35); definitur praeterea septentrionalis regio per arcturum, aut caeli (Aetna 243, Sen. Agam. 69, Octav. 234, Luc. VIII 179) aut terrae (Mart. IV 3, 5; Claud. XXI 123; Av. III 456); unde fit, ut etiam pro hieme vel frigore dicatur (Claud. XXXVI 225).

Extremis autem antiquitatis temporibus accesserunt opinionibus modo laudatis astrologorum sententiae, qui ipsi Booten quoque humani fati arbitrum esse putabant. Talia non vere Romana, sed a Chaldaeis accepta esse haud ignoramus. Quare pauca tantum verbi causa attulisse sufficiat. Docet Manilius V 358 sqq. arcturum in quinta Arcitenentis parte efficere regum ministros et thesaurorum praepositos potentissimos. Simili modo Firmicus Maternus Math. VIII 13 dicit: *hoc orienti signo* (sc. *arcturo*) *qui natus fuerit, erit talis qui amicorum secreta fideli taciturnitate custodiat*, quo fieri ut regum thesauris, populorum aerariis, aedibus publicis custodiendis sim. proponatur. Apparet hanc custodiendi vim ab ursae custode tribui, quocum convenit, quod si mala fuerit arcturi constellatio, qui sub ea nascuntur, non custodiunt ipsi secundum Firmicum, sed custodiuntur.

---

[1] Arcera plaustrum est secundum Gell. N. A. XX 1, 29.

Tali modo singulis stellis consideratis primum caput ad finem perduxi. Commemorasse tantum sufficiet capram et haedos, stellas Graecorum nautis notissimas, tamen Romanis priscis quippe qui agricolae fuerint, haud notas fuisse. Quae de his stellis notatu digna sunt, invenies apud Idelerum l. c. p. 92 et 94. Idem vir doctus p. 171 et 205 disputavit de nodo et de vindemiatore, quas stellas item a Graecis receperunt Romani; neque tamen magnum illis momentum tribuerunt. Quae cum ita sint, affirmare licet, ipsos Romanos singularum stellarum observasse tantum vesperum luciferum caniculam, earum quas a Graecis acceperunt coluisse maxime arcturum.

CAPVT SECVNDVM

De sideribus

§ 1. De septentrionibus

1. De septentrionum nominibus.

Notissima eius sideris, quod nostrates plaustrum maius vel ursam maiorem appellant, cognominatio veteribus Romanis erat septentriones, quare hoc vocabulo paragraphum inscripsi et ab eo initium faciam disserendi.

Septentriones, *-um* masc.: primum legitur ea appellatio apud Plautum in Amphitruone v. 273 in stellarum catalogo, quem supra p. 3 laudavimus. Inde a Plauto sequioribus saeculis tam saepe usurpatur, ut exempla afferre longum sit. Attamen Augusteo fere aevo singularia quaedam adhibendi genera inveniuntur. Ac primum quidem poetae metri necessitati oboedientes in duas partes vocem diviserunt. Exemplum afferam Ov. Met. II 528:

Gurgite caeruleo *septem* prohibete *triones*.

Qua divisione semel concessa vel eo progressi sunt poetae, ut solam posteriorem vocem omisso numerali dicerent. Sic invenitur apud Vergilium Aen. I 744:

Arcturum pluviasque Hyadas geminosque triones

et apud Ovidium Met. II 171:

Tunc primum radiis gelidi caluere triones.

Hac in re Vergilium et Ovidium recentiores poetae imitati sunt, quorum nomino Martialem, qui dicit *Parrhasios triones*

VI 58, 1; *Odrysios triones* VII 80, 1; *Hyperboreos triones* IX 45, 1. Similia leguntur apud Claudianum XX 238, XXII 458, XXXIII 102, carm. minor. LIII 11.

Sed ubi a scriptoribus numerus septenarius retinebatur, saepius pro plurali numero adhibebant singularem, pro septentrionibus septentrionem. Huius usus antiquissimos testes novi Caesarem b. G. I 1, 6; Varronem de l. l. VII 7; Ciceronem ad Att. IX 9, 2; Vergilium Georg. III 381. Quorum e temporibus concludo recentiorem esse singularem numerum plurali. Quod si verum est, sumamus necesse est e *septemtrionibus* deductum esse eodem modo haud ita logico *septemtrionem*, quo ex *decemviris* singularem *decemvirum* aut *centumvirum* e *centumviris*.[1]) Tali vocabuli *septemtrio* usu patet non iam intellectam esse primariam eius notionem, quocum cohaeret, quod non nisi rarissime[2]) in duas partes hic singularis numerus dividitur. Inde ab imperatorum aetate et pluralis et singularis numerus iuxta inveniuntur.

Usurpatam esse appellationem septemtriones primitus tantum de ursa maiore supra diximus. Sed cum progrediente rerum notitia intellegerent Romani similem praeterea extare constellationem, quam nostrates ursam minorem appellant, vel ad eam septentriones vocabulum applicarunt, ita ut dicant auctores utrumque signum *geminos triones* (Verg. Aen. I 744; Claud. XXII 458; Mart. Cap. VI 593) aut *bis septem triones* (Mart. Cap. VIII 808, 5); praeterea *septentriones maiores et minores* iam Varro adhibuerat (v. Gell. N. A. III 10, 2). Aut hoc modo agunt quo Martianus Capella, qui solum ursam maiorem indicans singulari utitur *septentrio* (v. VI 606, 608), cum vero de ursa maiore et minore loquatur, dicit septentriones velut VI 696. Eodem modo dicit Isidorus de nat. rer. XII 6: *hic ἄρκτοι sunt, id est septentriones, qui nobis semper apparent*, cum singularem usurpans solum plaustrum maius intellegat, v. de nat. rer. XXVI 3. 4. 5. Quin etiam ursam minorem interdum appellant *septentrionem minorem*, quod fieri non potuit, dum pristina vocis *septentrionum* notio vigeret. Cuius muta-

[1]) v. Fr. Buecheler *Mus. Rhen.* XI 427, H. Usener *Mus. Rhen.* XXIII 335 adn. 50. Conferas Germanorum *der Zwelfboto* aut *der Siebenschläfer* postea e plurali numero formata, O. Behaghel *Die deutsche Sprache* p. 179.

[2]) v. Avien. II 1654 *septem vicina trioni.*

tionis iam Cicero testis est de nat. deor. II 111: *minorem . . . septentrionem Cepheus subsequitur.* Quo fiebat, ut alteri constellationi appellationem *septentrio maior* adderent, v. Hygin. fab. CLXXVII p. 133 B: *postea Ioris in stellarum numerum rettulit, quae Septentrio appellatur. . . . haec ergo Septentrio maior . . .*; Luc. Ampel. lib. mem. cap. III: *septentriones duo: maior et minor, qui numquam merguntur.* Nullum dubium est, quin haec appellandi ratio orta sit ex confusione cum *ursae* appellatione facta. Nam utrumque sidus etiam *ursam maiorem* et *minorem* vocatum esse infra videbimus. Quae confusio vel eo progressa est, ut dicere possit Vitruvius IX 4, 6 de capite maioris septentrionis et de cauda minoris. Huc pertinet id quoque, quod genus masculinum voci per se proprium mutabatur in genus femininum, vide Mart. Cap. VIII 838: *aquilonis igitur habent partem utraque Septentrio, draco.*[1])

Praeter ea, quae modo attulimus, notandum est iam inde a prioribus latini sermonis temporibus septem trionem a sidere translatum esse ad regionem cui imminebat illud et caelestem et terrestrem. Quae res notior est, quam quae exemplis allatis indigeat. Quin etiam posteriore aevo sidus iterum e regione appellatum est, velut a Martiano Capella VIII 818 *gemina sidera septentrionis* aut a Iulio Obsequente c. 128 *septentrionis sidus.* Quo factum est, ut ursa maior appellaretur *septentrionale sidus* vel omisso nomine substantivo *septentrionale* aut *septentrionalis*, v. Wölfflini Arch. IX p. 138, Isidorum Orig. III 70, 6, qui exscribitur ad Bedam de temp. rat. I 32 (ed. Bas. II p. 134): *arcturus* (sic pro *arcto*) *ille est, quem latini septentrionalem dicunt.*

Neque mirum est, quod poetae, quorum e more fuisse supra vidimus de *trionibus* omisso numerali loqui, regionem borealem eodem vocabulo poetico ornaverint. Quod fecit Claudianus VIII 474: *gens qua non Scythicos diffusior ulla triones | incoluit* et XXI 217: *exarmatique triones.* Praeter poetas autem, quod hoc loco addam, Trio nobis occurrit pro hominum cognomine pluribus locis. Notus est Fulcinius Trio, aetatis Tiberianae

[1]) Vide Hygin. fab. CLXXVII p. 133 B: *quae septentrio appellatur . . . haec ergo septentrio maior.* At in fabula CCXXIV p. 155 B masculinum genus adhibet idem Hygínus. reicio praeterea ad schol. Germ. Arat. p. 189, 7 *utraque septentrio* et ad Maassium Ar. rel. p. 134 *utrasque septentriones*

delator (Tac. ann. II 28sqq.); in titulis occurrunt hi: CIL I 286 CN. LVCR. TRIO; I 451 L. LVCRETI. TRIO; V 8464 T. QVINCTI TRIONIS; III 5436 C. LICINI TRIONIS; III 2735 P. AELIVS VERVS AEL. TRIONI MATRI PIENTISSIMAE.

Tamen extremis imperii Romani saeculis septentrionum notio aliis eiusdem sideris appellationibus cessisse et rarior facta videtur esse. Quod colligam e Gregorii Turonensis verbis, quae scripsit *de cursu stellarum* (§ 56 ed. Frid. Haase Vratisl. 1853): *de his stellis quas rustici plaustrum vocant quid dicere possumus . . . a sapientibus septentrio vocatur propter numerum.* Sed omnino repressa haec notio non est. Nam retinetur sideris nomen his ipsis temporibus a Francogallis, quibus cultiore sermone *septentrion* vocatur, ab Italis, quorum *settentrione* ex illa antiqua appellatione deductum est. Etiam Hispani servant vocem *septentrion*, cum Lusitani et Germani vocem ignorent. Horum non nisi doctiores nonnulli vocem usurpaverunt, quorum affero Roeslinum *Von heutiger Zeit Beschaffenheit*, Argentorati 1609 cap. IV p. 1E: *Der Comet aber . . . ist auffwertz gegen Septentrion unnd durch Septentrion biss in das gegen Zeichen dess Widers gangen.*

Iamiam ad vocis *septentrionum* originem illustrandam accedamus. ex iis quae adhuc contuli apparuisse putaverim vetustissimam quam apud scriptores legimus formam fuisse *septemtriones*. Hinc igitur nobis proficiscendum est. Sed priusquam nostram statuamus opinionem, eas et veterum et recentiorum recenseamus opiniones, quibus adstipulandum non sit. Quorum primus Varro *septem triones* accepit tamquam septem trigonas; dicit enim de lingua latin. VII 75: *possunt triones dicti, VII quod ita sitae stellae, ut ternae trigona faciant aliquem.*[1]) Per se plane inepta videtur interpretatio: nam vix putaris Romanos tanto geometriae studio captos fuisse, ut ex constellatione singularum stellarum sibi fingerent septem trigonas. Praeterea et a grammaticorum legibus abhorret, quod vidit Corssenus l. l. pag. 513 adn. Quare de hoc veriloquio silere nobis licet.

Altera interpretatio a Gellio profertur N. A. II 21, 6: *vulgus . . . grammaticorum septentriones a solo numero stellarum*

[1]) Eandem commemorat explicationem Festus p. 339M.; Varronem laudat Gellius N. A. II 21, 10sq.

dictum putat. 'Triones' enim per sese nihil significare aiunt, sed vocabuli esse supplementum; sicut in eo, quod 'quinquatrus' dicamus, quod quinque ab Idibus dierum numerus sit, 'atrus' nihil. Cui sententiae assentiri nullo modo possumus. Nam *trionem* vocabulum aliquod in se absolutum fuisse docemur et poetarum τριῶσσι supra p. 59 allatis, qui numquam simili modo *quinque* et *atrus* in duo diviserunt: docemur praeterea eo, quod Trio saepius pro hominum cognominatione appareat (v. supra p. 62).

Tertiam opinionem recentiorum quidam protulit, O. Keller dico, qui in libro *Tiere des klassischen Altertums* p. 126 concedit trionem aliquid significare, et idem hoc esse atque figuram vel sidus. Quo fit, ut cogatur sumere pluralem huius vocis formam recentiorem esse singulari (p. 126): adversus eum dicendum est septentriones certe antiquiores esse septentrione (v. supra p. 60). Neque ipse sibi in ea voce explananda constitit Keller, qui p. 378 adn. 240 Gellium secutus *-trio* syllabas stirpi suffixas nullius momenti esse dixit. Sed de hac sententia iam actum est.

Fuerunt tamen et alii, qui trionem idem valere atque stellam putarent. Quorum nomino Th. Benfey *Griech. Wurzellexicon* I 661, qui Latinorum *trio* composuit cum radice sanscritea *stri* ~ *astri* ~ *strahlen*, cuius sententiam excepit M. Mueller *Wissenschaft der Sprache* II 344 fusius exponens *trio* derivari posse a voce quadam **târâ*, quae ex **stara* (~ *sterula* ~ *stella*) deducta sit amissa prima littera. Itaque septem triones sint septem stellae.

Cui explicationi respondeam, *trio* a **stara* derivari posse quidem, sed minime deberi. Quod ut sentiam, adducor Varronis auctoritate, qui de l. l. VII 73 sq. haec tradit: *Arbitror antiquos rusticos primum notasse quaedam in caelo signa . . . Eius signa sunt, quod has septem stellas Graeci ut Homerus vocant ἅμαξαν et propinquum eius signum βοώτην, nostri eas septem stellas triones et temonem et prope eas axem: Triones enim et boves appellantur a bubulcis etiam nunc maxime cum arant terram; e quis ut dicti valentes Glebarii qui facile proscidunt glebas, sic omnes qui terram arabant a terra Terriones, unde Triones ut dicerentur de tritu.*[1]) Sed oppugnat Varroni M. Mueller, dum dicit trionem

[1]) Hanc explicationem profert Gellius quoque N. A. II 21, e quo com-

pro bove apud nullum alium auctorem legi, nusquam alibi de septem bubus constellationem illam efficientibus dici. Itaque Varronem hoc vocabulum adinvenisse, quo facilius suo modo rem explicaret, putandum esse. Sed equidem putaverim, cum Varro diserte ac plane affirmet *etiam nunc* triones appellari a rusticis boves, iniuria hoc in dubium vocari a M. Mueller: neque enim suis inventis mendacia etyma fulcire ex Aelii aut Varronis more erat, qui hac in re etiam incautius egissent, cum suo tempore florere hoc vocabulum dicerent. Quod si falsum erat, facile a criticis erroris convincebantur.

Neque recte affirmat M. Mueller numquam trione usos esse Romanos ad significandum bovem. Extat enim versus Naevii poetae (frg. inc. IX, Trag. Rom. fragm.[3] p. 17) prolatus ab Isidoro Orig. XII 1 ut *bovem Latinos trionem vocasse* probetur:

trionum hic moderator rusticus.

Praeterea legitur in Corpore gloss. lat. vol. II p. 201, 51 *triones βόες. ἀρχαίως.* Quibus testimoniis satis probatum esse puto Varronem non finxisse vocabulum *trio*, sed veram septem trionum protulisse etymologiam. Cui etiam Martianus Capella plausit, cum VIII 808 v. 5 Booten appellaret *pastorem septem trionum.*[1]) Neque tamen has septem triones cum Varrone pro arantibus aut cum Martiano pro pascentibus accipiam, immo inclinem in tertiam quandam sententiam, quam sic edixit v. d. Nitzsch in adnotationibus ad Homeri Odyss. libri quinti versum 272 (*ὀψὲ δύοντα Βοώτην*): *Die römischen Landleute ... verfielen, weil das Bärengestirn sich immer im Kreise dreht, auf die Vorstellung einer Tenne, auf welcher sich sieben Dreschochsen septem triones umher bewegten (Il. XX 495).* Quod si verum est, trio non a terra deducatur, id quod voluit Varro, sed a terendo, quod boves frumentum pedibus conterunt. Cui veri-

perimus Varronem eam hausisse ex Aelii Stilonis magistri sententiis; cum Stilone et Varrone faciunt Festus p. 339 M. et Probus Verg. Georg. I 227, qui dicit septem triones appellatos esse, quod sit plaustrum tractum a bubus iunctis.

[1]) Audacius fortasse dicunt G. Corssen l. l. p. 512 et Thiele l. l. p. 3 et Graecos quondam in hoc sidere septem boves conspexisse, quod demonstrari Bootis nomine putant. Sed is pastor alium gregem custodivisse videtur, v. supra p. 55.

loquio favent Corssen *Aussprache und Vokalismus . . . der lat. Spr.* I 512, Osthoff-Brugmann *Morphol. Unters.* V 111, A. Baumgartner *Zur Geschichte und Literatur der griechischen Sternbilder*, Basil. 1904 p. 14, A. Walde l. l. p. 637 s. v. *triones.*

Sed non solum de septem bubus cogitabant veteres, cum in caelo constellationem illam conspicerent, sed vario modo singulas stellas ad imaginem composuerunt. Atque primam earum plaustri appellationem consideremus.

Saepissime enim septentrionale sidus a Romanis plaustrum appellatur, eodem quo a Graecis modo ἅμαξα et a nostratibus *Wagen.* Quae appellatio sine dubio non tam e sideris motu plaustri consimili quam e stellarum compositione orta est. Non huius loci est enumerare eos quicumque illam constellationem descripserint: de his rebus infra p. 71 sq. agetur. Varronem unum afferam testem, qui de l. l. VII 74, ubi de temone agit, addit: *is enim continet iugum et plaustrum.* Neque quidquam adnotandum est de *plaustri* usu apud pedestres scriptores passim obvio; poetae, qualis eorum mos est, saepius plurali numero septem solos triones designant, ut Avien. II 1230:

Plaustra Lycaoniae pulsat pede desuper Ursae.

Ita vulgare est dicere *plaustra Bootis* v. Octav. 234; Sen. Med. 315, Ag. 70; Lucan. II 722; Mart. VIII 21, 3; Stat. Theb. V 529; Mart. Cap. II 98; Avien. II 143.[1])

Synonyma ut ita dicam *plaustri* inveniuntur haec:

amaxa, -ae fem. Schol. Germ. p. 76, 1 B.

arcera, -ae fem.: hoc quid sit docet Gell. N. A. XX 1, 29: (*arcera*) *vocabatur plaustrum tectum undique et munitum.* Pro septem trionibus adhibetur a Q. Cicerone (Auson. VII 26, 18 p. 108 P): *fulgentes Arcera septem magna quatit stellas.* Veriloquium Arcturi et Arcti ab arcera petit Serv. auct. ad Verg. Aen. I 744.

carrus, -i masc.: interpres recentior Corp. gloss. lat. III

[1]) Baier in Uranologio contendit similem sideris appellationem *plaustriluca* inveniri: v. Ideler l. l. p. 293. Quod tamen detortum videtur ex Mart. Cap. IX 912 *plaustriluci ignes*; nisi errat forte Ideler, nam in Uranometria, quam solam inspicere potui, *plaustricula* memorat ursae maioris cognomen pag. 3; at huius quoque appellationis alia desunt testimonia.

p. 425, 20 vertendi necessitate inductus: *ἄρκτον ὄντινα καταχρηστικῶς ἅμαξαν καλέουσιν septentrio quemque vulgo carrum vocant.* Hoc vocabulum hodie quoque viget: *carro* septentriones sunt Italis Hispanis Lusitanis, *char* vel *chariot* Francogallis.

currus, -us masc. adamatur a Statii sermone poetico, Theb. VIII 311 (*te currus uterque circuit*), X 328 (*fugit curru maiore Bootes*).

sarracum, -i neutr.: poetice unus Iuvenalis V 23 *pigri sarraca Bootae.* Quod idem valet atque plaustra, v. Marquardt-Mau *Privatleben der Römer* II 732.

Sed non solum vehiculo integro usi sunt veteres, ut sidus boreale indicarent, immo etiam plaustri quibusdam partibus. Quarum appellationum maximum valet temo.

Temo, -onis masc.: occurrit iam apud Ennium (Iph. frgm. II Vahl.[2]), cuius versus traduntur a Varrone de l. l. VII 73 hi:

> quid noctis videtur? in altisono
> caeli clipeo superat temo
> stellas sublime agitans etiam atque
> etiam noctis iter.[1])

Et pergit Varro: *hic multam noctem ostendere vult a temonis motu. Sed temo unde et cur dicatur, latet. Arbitror antiquos rusticos primum notasse quaedam in caelo signa quae praeter alia erant insignia atque ad aliquem usum culturae et*[2]) *tempus designandum convenire animadvertebantur.*

De temonis veriloquio, quo nihil in re nostra adiuvamur, longus esse nolo. Recentiorum explanationes contulit A. Walde l. l. p. 619.

Temonem Romanis lignum longum et extentum in curru vel aratro fuisse notum est.[3]) De aratro loquens Vergilius ait Georg. I 171: *huic a stirpe pedes temo protentus in octo*; de

---

[1]) Sic Vahlenus versus constituit, in Varronis libris manu scriptis traditur *temo superat* et *agens.* Ceterum Varro Ennii nomen non addit, quod tamen comperimus e Festo p. 339: *Ennius: supera⟨t temo stellas⟩.*

[2]) *Et* add. C. Lachmann. De toto hoc Varronis loco vide supra p. 63.

[3]) Francogalli voce *timon,* Itali *timone* etiam pro gubernaculo utuntur, cuius figura haud male cum constellatione illa conveniret. Sed ego nihil ex hoc consensu ausus sum concludere, quia apud ipsos Romanos *temo* pro *gubernaculo* non adhibetur.

curru v. c. Varro de l. l. VII 75 locum Ennianum respiciens: *temo dictus a tenendo: is enim continet iugum et plaustrum, appellatum a parte totum, ut multa.*

Iam quaeratur, utrum de aratri an de currus temone cogitaverit Ennius. Cumque nullo alio loco cum aratro, saepissime autem cum curru comparentur septem triones, ut modo diximus, illud spernendum hoc sumendum est. Quin etiam hoc statuatur necesse est, non vulgarem esse Ennii appellationem, quippe quae imagini ab ipsa constellatione effecta non respondeat,[1]) sed poeticam, quippe quae *συνεκδοχικῶς* pro ipso curru posita sit, id quod iam Varro l. s. putaverat. Tali modo poetas Romanos loqui potuisse demonstrat Iuvenalis IV 126 sq.: *aut de temone Britanno | excidet Arrivagus.* Eandem synecdocham de septem trionibus praeter Ennium solus adhibuit Statius Theb. I 370 sqq.:

> Ac velut hiberno deprensus navita ponto
> cui neque temo piger neque amico sidere monstrat
> Luna vias.

Saepius tamen a poetis de parte totius sideris temo occupatur, quorum nomino Ovidium Met. X 447:

> Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

Neque tamen semper ita sibi constant poetae, ut laudato temone reliquas stellas pro rotis habeant, sed confunditur cum illo alia quaedam sideris nostri appellatio, ut *ursae* significatio. Cuius rei exempla sunt haec: Cicero in Arateis frgm. XVI 2 (de nat. deor. II 109) Arctophylacis nomen explicat *quod quasi temoni adiunctam prae se quatit Arctum.* Statius autem Theb. I 692:

> et iam temone supino
> languet Hyperboreae glacialis portitor Ursae.

Eodem modo peccat Seneca Herc. fur. 129:

> signum celsi glaciale poli
> septem stellis Arcados ursae
> lucem verso temone vocant.

[1]) Ea praeter temonem quattuor rotas ostendit; v. J. Grimm l. s. p. 604: *Das Bild gründet sich auf lebendige Betrachtung der Constellation, deren Drehung überall vier Räder und eine abstehende Deichsel (temo) erkennen läßt, weshalb auch die Angelsachsen zuweilen bloß þîsl setzen, voenes þîsla Boeth. Rawlins. 192 b.*

Et Lucanus IV 523: *flexoque Ursae temone.*[1])

Ceterum adnotem maiorem plerumque ursam, perraro minorem, cum temone componi.[2]) Sed vel hoc poetarum tantum fuit, cum in vulgus ea appellatio, quantum quidem nos videmus, non descenderit. Unde fit, ut in hodiernis Romanorum nepotum linguis nullas habeamus huius significationis reliquias. Itaque fortasse *temonis* usus nihil fuit nisi unius Ennii, quem reliqui imitati sunt, inventum.

Aliae eiusdem generis *συνεκδοχαί axis* sunt et *iugum*. Quorum *axis* permultis locis legitur, v. c. Sen. Herc. Oet. 1281 *Parrhasio lenior axe.* Similia inveniuntur Lucan. II 237, VIII 175; Sen. Med. 712; Avien. III 364. Alia est astronomorum axis, quo inter se coniunctos esse *τοὺς δύο πόλους* cogitant circumque quem mundus vertitur. Hunc Romanorum quoque astronomi bene noverunt v. c. Manilius I 279 sqq. (*aera per medium tenuis deducitur axis*), sed nos in sequentibus non curabimus.

Iugum apud Martialem occurrit VI 25, 2 (*horrida Parrhasio quem tenet ursa iugo*) et Senecam Troad. 439 (*clarumque septem verterant stellae iugum*).

Quodsi locos modo allatos iterum perlustraveris, animadvertes usitatum veteribus fuisse *plaustrum*, pro quo apud recentiores cessit *carrus*. Reliquae quotquot extant significationes paucorum ingeniorum lusus sunt poeticus.

Praeter septem triones et plaustrum tertia quaedam nobis occurrit sideris appellatio, ab ursa fera deducta. Quam tamen Plautus Ennius Terentius reliqui veteres ignorant, ita ut concludere liceat omnino hanc nuncupationem priscis Romanis ignotam fuisse. Circa medium denique primum a. Chr. n. saeculum legitur in eorum scriptis, qui Graecos imitantur, unde ab illis ursam desumptam esse apparet. Id eo firmatur, quod saepius non Romanorum vocabulum genuinum, sed Graecorum peregrinum adhibent arctus aut arctos. Quae differentia in exeunte casu nominativo numeri singularis Graecorum nominum mira non est neque exemplis indiget, quippe

[1]) Huc quadrat cum in scholiis ad Aratum loquantur de *ὀυμῷ τῆς Ἄρκτου* v. Maass Comment. in Arat. rel. p. 362, 17; 391, 6. Et memini me apud nostratem quendam legisse: *die Hinterräder des großen Bären.*

[2]) v. Av. II 131: *illa (Cynosura) licet parvo iaceat temone per aethram.*

quae nunc in Thesauro linguae latinae s. v. diligenter collecta sint. Hoc fortasse monendum *arctum* primum occurrere apud Ciceronem Arat. frgm. XVI 2; *ursam* primum inveni apud Ovidium, v. c. Trist. III 11, 8.

Iuxta stellam autem polarem coniuncti arctiore spatio lucent septem illi ignes, quos tamquam imaginem plaustri minorem considerabant veteres. Quare eam quoque Arcton appellabant et utrumque sidus *geminas Arctos* (Prop. III 15, 25, Ov. Met. III 45, Man. III 382, V 19), *binas Arctos* (Man. I 283), *duas Arctos* (Verg. Georg. I 245, Ov. Fast. III 107 al.), *utramque arcton* Avien. II 138, *utraque Arctos* Hygin. astron. III 1 p. 81 B. A minore illa constellatione, quae et Phoenice apellabatur, plaustrum distinxerunt ita, ut *Arcton maiorem* vocarent, v. Hygin. astr. II 2 p. 31 B; apud eundem auctorem astr. II 1 p. 30 B audit *Arctos maxima*. Cui respondet, quod Phoenicen *minorem Arcton* dicebant.[1])

Poetarum proprium est, si quando pro *ursa* communius dicitur *fera* vel *monstrum* vel simile quid. Huius rei exemplum afferam Ov. trist. IV 3, 1:

> Magna minorque ferae, quarum regis altera Graias
> altera Sidonias utraque sicca rates.[2])

Et arctos et ursa ex astronomorum[3]) scientia et pedestri et poetica in vulgus descenderunt. Praeterea late viguisse ursae appellationem demonstrant recentiorum significationes, Lusitanorum *ursa*, Hispanorum *osa*, Italorum *orsa*, Franco-

---

[1]) Moneam hoc loco nullam Phoenices extare significationem Romanam. Cumque eam ob rem nesciamus, num omnino veteribus Italis notum signum fuerit, id in catalogum nostrorum siderum omnino non recepi.

[2]) v. Sen. Med. 698, Thyest. 867 (*monstra* codd., *plostra* coni. F. Leo); Mart. Cap. IX 912.

[3]) Qui tamen sequiore aevo cum arcturo perperam ursam composuerunt, v. Isid. de nat. rer. XXVI 3 (*arcturus est ille quem latini septentrionem dicunt, qui septem stellarum radiis fulgens in se ipso revolutus rotatur*), Arati interpretes apud Maassium comm. Arat. p. 104, 180, 184. Nonnumquam autem hic Arcturus personatus ursae genus retinuit, v. ib. p. 187: *inter ambas Arcturos iacet*, schol. in Germ. Ar. p. 116, 2, 20: *utramque arcturum*. Semel dicitur *Arcturus maximus* schol. ad Germ. Ar. p. 116, 19 B. saepius secernitur *Arcturus maior* et *Arcturus minor* v. Bedam de signis 1, 2, Maassium l. l. p. 186, schol. in Germ. Ar. p. 111, 19; 114, 8, 19; 116, 8 al.

gallorum *ours*, quibus omnibus plaustri sidus indicatur. Nec non nostrates hanc vocem receperunt verterunt servaverunt.

Praeter arctum a Graecis alteram quandam septem trionum appellationem Romani receperunt, quam paucis notemus, Helicen. Vocem Ἑλίκη inde ab antiquis viri docti deduxerunt διὰ τὸ ἑλίσσεσθαι . . . καὶ διὰ τὸ ἕλκεσθαι ὑπὸ οὐρανοῦ, quod circa polum sidus vertitur.[1]) De duabus ursis Aratus dixerat loco in adnotatione signato:

οἱ τὴν μὲν κυνοσουρὰν ἐπίκλησιν καλέουσιν
τὴν δ' ἑτέρην ἑλίκην,

ubi ἡ ἑτέρη ursa maior est. Quem cum verteret M. Cicero, vocem Helice in Romanorum sermonem recepit: *altera dicitur esse Helice*, Arat. frgm. VI 2 = de nat. deor. II 105. Genetivus casus aut graeco more formatur *Helices* (Avien. II 260), aut Romano *Helicae* (Cic. nat. deor. II 110). Semel Arati interpres (Maass l. l. p. 582, 1) pro Helica scripsit *Helix*; eandem formam tradunt schol. Bern. in Germ. Ar. p. 233, 3, 12 B, occupatur autem ἕλιξ interdum a Graecis de sideribus, velut a Nonno Dion. I 225 καὶ στίχες οὐρανίων ἑλίκων. Non multis Romanis haec vox accepta fuit, nisi excipere vis Manilium, apud quem I 296 *Helice maior* extat et I 303 de frontibus Helicae maioris et minoris agitur. Simili modo Cicero de nat. deor. II 110 commemorat *Helicen truculentam* h. e. feram et Avien. II 158 *Helices caudam*.

II. De septentrionum opinionibus.

Quicumque serena tempestate oculos in nocturnum caelum sustulerit, primo obtutu septem stellas prae reliquis micantes animadvertet. Suo iure *clarum* sidus appellavit Seneca Herc. Oet. 239. Itaque septem illas stellas inter se cohaerere unamque efficere constellationem iam veteres putasse Romanos fide dignum est. Etiam posteriore aevo haud ita raro fit, ut ubi simplex affectatur dicendi genus, constellatio illa *septem stellae* dicatur. Sic Accius in Philocteta (v. 566 Ribb.) *sub axe*

[1]) Schol. Arat. phaen. 35 Maass l. l. p. 348, 2, recentiorum v. c. Prellwitz in gloss. etym. sub voce, aliorum recentiorum conamina (Buttmann l. l. p. 20) nihil moror.

posita ad septem stellas.[1]) Sed mox hoc quoque intellectum est septem illas stellas tardo progressu in eundem semper orbem moveri, quod agricolae Italici eodem modo fieri sciebant, cum boves in area frumentum pedibus terebant. Utque omnino rudiores populi discernere nequeunt inter duas res similes, quae ipsis videntur una eademque res, septem stellas septem triones dixerunt, h. e. septem boves esse putabant messem deterentes.[2]) Neque ex hac appellatione quidquam amplius de veterum religione colligere licet; bovem Romanis symbolum lucis fuisse inde non apparet.

Altera quoque Romanorum cognominatio, quae de plaustro cogitat, item situm solum astrorum considerat. Similitudo trium priorum stellarum cum temone certa et plana est. Reliquas quattuor duabus rationibus interpretari potes, sive superne sive a latere imaginem conspicis. Si superne, quattuor rotas habes,[3]) si a latere, duas rotas et duas arcerae fastigii versuras. Utro modo singuli veteres cogitaverint, hodie affirmare nequimus. Ipsa plaustri imaginatio a quo quandoque primum facta sit, haud constare mirum non est. Sumere possis, ut vaga populorum vita in plaustris acta agriculturam antecesserit, ita appellationem plaustrum vetustiorem esse septem trionibus et inventam illis temporibus, quo Itali una cum Graiis vagabantur, ita ut horum ἅμαξα non mater, sed soror plaustri Romani sit. Sed omnino non necessario sumitur, plaustrum et hamaxam inter se cohaerere. Nam multi populi, qui nullam cogitandi necessitudinem inter se habuerunt, sua sponte in currus appellationem inciderunt.[4])

---

[1]) Idem habent Sen. Troad. 439, Man. I 650, Apul. de mundo XI.

[2]) Permulti populi praeterea septem stellas septem numina putabant, velut Turcestani dicunt eas *septem fures* et *septem fratres*, hodierni Graeci, qui Cyprum incolunt, ἑφτὰ πλανήταις, v. N. G. Politis *Μελέται περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς γλώσσης τοῦ ἑλληνικοῦ λαοῦ* Athen, 1904 p. 816. Huc quadrat Indorum quoque cognominatio, qui septem Romanorum boves septem sapientes esse putabant, v. M. Müller *Wiss. der Sprache* II p. 341, H. Usener Sintflutsagen p. 243, N. G. Politis l. l. p. 816. [3]) Vide supra p. 65.

[4]) v. J. Grimm l. l. p. 604. Germani de Iovis curru cogitabant (*woens wagen*, ib. p. 125). Similes Germanorum sententiae, qui et aratrum, rotas, temonem, equos aut boves temoni alligatos conspicere sibi visi sunt, enumerantur a E. Meyer in adn. ib. p. 212. — Currum appellaverunt sidus ii quoque populi, qui ad orientem solem habitaverunt, v. Epping *Astrono-*

Mirum non est, quod recentioribus imago boum contaminata est cum imagine plaustri. Cuius rei complura extant exempla, quorum unum afferam Ovidii Met. X 446:

interque Triones
flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.

Sed is mente tantum boves temone additos videbat, quos oculis conspicere non potuit. Erat, cum putarem Festum quoque de bubus ad currum iunctis cogitare; nam dicit p. 339 M de septentrionibus: *septem stellae appell .... bus iunctis.* Quem e Hygin. astron. II 2 p. 32 B suppleverunt, qui utramque imaginem sic in unam redigit: *ex septem stellis duae quae pares et maxime in uno loco viderentur, pro bubus haberentur, reliquae autem quinque figuram plaustri similarent.* Hoc postea mente excogitatum, non primitus oculis conspectum esse ipsa constellatione docemur. Sed necessarium non est statuere Festum de bubus ad currum iunctis cogitasse: in terendo quoque triones iugo iunguntur. Quod demonstratur Il. XX 495 sqq.:

ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἄρσενας εὐρυμετώπους
τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ.

Ita veteres septem illos triones habuerint pro tribus boum iugis, quorum unum tres,[1]) duo binos boves continebant.

Hactenus de opinionibus, quas pro vere Romanis habeo, aut quarum originem graecam aptis argumentis demonstrare nequeo. Vidimus Romanos erga septem stellas simplici cogitatione humana usos esse, non tamquam facerent deas vel deos. Neque enim agris nocebant ut canicula, quamobrem deerat timor, qui secundum Lucretium primus in orbe deos fecit.

Iam ad sententias a Graecis desumptas transeamus. Quarum gravissimam iam supra p. 68 indicavimus, ubi de ursa agebatur. Qua re Graeci adducti sint, ut *ἄρκτον* suam invenirent, hoc statuere nostrum non est. Quare *ὡς ἐν παρόδῳ* tantum dicam, quid ipse sentiam. Antiquissimam hanc appellationem esse et iam Indogermanis quos vocant notam, plurimi contendunt.[2]) Quantum ad veriloquium, recentiorum plures

misches aus Babylon p. 212, Winckler *Altorientalische Forschungen* 3. *Reihe* vol. I p. 181.

[1]) Iugum quo tres boves iungantur commemorat Columella II 6 med.

[2]) Kaegi *Annal. Fleckeis.* CXXI 462, G. Curtius *Grundzüge der*

censuerunt vocabulum ἄρκτος cohaerere cum radice quadam, quae lucere significet, ita ut ἄρκτος sit stella lucida vel splendida.[1]) Sed haec interpretatio eo reicitur, quod apud alios populos qui numquam ullum commercium cum Graecis habuerunt, ipsorum lingua sidus illud ursa appellatur: velut apud indigenas Americae septentrionalis.[2]) Sumamus igitur necesse est, veteres Graecos his septem stellis apparentibus veram ursam conspexisse. Ursa potentissima venatoribus priscis videbatur bestia, in quam multum cogitationis contulerunt. Quo fiebat, ut deam sub ursae specie latere putarent, cuius famulae et ipsae ἄρκτοι erant.[3]) Quare assentiar verbis a Kellero prolatis, qui postquam loco in adnotatione laudato de Indianis egit, haec addit: *Beidesmal haben wir es . . . mit der Erfindung eines Jägervolkes zu thun, das . . . in dem großartigsten Sternbilde des Himmels ein Bild des Königs seiner Wälder erblickt.*[4])

Quaeritur ubinam veteres in imagine ursae caput et caudam collocaverint. Diiudicatur hoc Homero teste, qui ἄρκτον τὸν Ὠρίωνα δοκεύουσαν facit (Il. XVIII 488, Od. V 274) h. e. Orionem prospicientem. Quem auctorem secutus ubi caelum aspexeris, caudam[5]) ursae eundem esse quem currus temonem statim videbis.[6]) Quae figura septem stellarum ab astronomis

griech. Etymol. 133, Schrader *Reallexicon der idg. Altertumskunde* 826, O. Keller *Tiere des klass. Altertums* 127, J. J. Bachofen *Der Bär in den Religionen des Altertums* Basil. 1863 p. 17. Rivolae librum *die griechischen Sternbilder*, Progr. Bruchsal. 1857, ut inspicerem mihi non contigit.

[1]) Th. Bergk *Griech. Litteratur-Geschichte* I 111 adn. 161, M. Müller l. s. II 341, H. Usener Mus. Rhen. XXIII 334.

[2]) v. Bailly *Geschichte der Sternkunde der Griechen* II p. 323; O. Keller *Tiere des klass. Altertums* 127; Pausan. ed. J. G. Frazer IV 191 ad VIII 3, 7.

[3]) J. J. Bachofen l. s. p. 15 sqq. 24 sq. Ed. Meyer *Geschichte des Altertums* II 99, 104.

[4]) Quare reiciam ut crinibus arreptam explicationem a Witekindio *de sphaera mundi* Heidelbergae 1574 p. 60 allatam: *Nomen ursarum petitum videtur a natura soli eis subiecti, quod hoc genere animalis abundat.*

[5]) v. Buttmannum l. s. p. 36. Quam caudam longiorem esse ea quam vera ursa gerit concedendum est. Sed talibus minutiis a comparando non deterrebantur populi, quos primitivos vocamus, id quod recte iam monuit O. Keller l. s.

[6]) Neque tamen praefracte negari potest fuisse, qui temonem pro

graecis postea aucta est additis proximis stellis obscurioribus, ita ut imago quinque et viginti stellarum evaderet. Hoc comperimus ex Hygino astr. II 2 p. 32 B: *postea enim de septem stellis, ut Parmeniscus ait, quinque et viginti sunt a quibusdam astrologis constitutae, ut ursae species, non septem stellis, perficeretur.* Quae stellae quomodo collocatae fuerint, fusius docet idem Hyginus astr. III 1 p. 81 B. Artificiosam hanc figuram posteriorum commentum esse etiam Hipparchus (p. 46, 8 Man.) demonstrat, qui septem tantum stellas noverit.

Ubi haec Graecorum doctrina de ursa, praesertim de ursa viginti quinque stellis composita, inter Romanorum opiniones recepta est, miro modo hanc cum plaustri notione componunt ita, ut plaustrum septem flammarum pars sit ursae plurium astrorum, quo fiebat, ut coniunctum et confusum utrumque vocabulum posset poni. Sic Statius Theb. III 684 *sola superstite plaustro Arctos* dicit; similia leguntur Man. I 619 (*Ursae quam septem stellae . . producunt*), Sen. Herc. Oet. 1523 (*sub plaustro ursae*), Lucan. IV 523 (*temone ursae*), Avien. II 1230 (*plaustra . . Lycaoniae ursae*), Claudian. I 26 (*plaustro intermicat arctos*), carm. min. LIII 11 (*arctos inocciduique triones*).

Vario autem modo exornabantur de septem trionibus sententiae, postquam Graecorum fabulae a Romanis adhiberi coeperunt; ut Avieni verbis utar II 103:

voce feras ursasque et plaustra vocare solemus,
fabula namque ursas, species dat plaustra videri.

Talium narrationum minus vulgarem tradit Hyginus astr. II 2 p. 32 B: geminos triones quondam nymphas fuisse Helicen et Cynosuram appellatas, quae quod Iovem aluissent pro beneficio inter stellas essent receptae. Has nymphas vitam caelestem ibi agentes finxit Ovidius Fast. IV 577, ubi Ceres septem triones alloquitur:

Parrhasides stellae, namque omnia nosse potestis,
aequoreas numquam cum subeatis aquas.[1])

Cui quaerenti etiam responsum dat Helice v. 580 sqq.: en habes opinionem illam sidera terrestres omnes res lustrare,

capite et collo paulo longiore ursae habuerint. Quod si conceditur, gregi imminere videbatur, quam Arcturus ab ursa custodiebat, v. supra p. 55.

[1]) De trionibus *ἀμφόροις λοίτροων Ὠκεάνοιο* vide infra p. 78 sq.

quam Plautus quoque in Rudentis prologo tetigit.[1]) Amant praeterea poetae animam nymphae ipsam astri motus regentem describere, ut Lucan. II 237: *Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes.* Hoc cohaeret cum veterum opinione animas divinas in astris versari.[2])

Sed plerumque Romanorum auctores iterant fabulam illam notissimam Callistonem, dilectam penitus supremo Iovi, Arcadem peperisse, sed a Iunone irata in ursam esse conversam, et cum Arcas filius venator ipsam sequeretur, a Iove una cum Arcade[3]) inter sidera receptam esse, iratam autem Iunonem perfecisse, ne Oceani aquis lavari possit. Quae fabula quo modo apud Graecos orta atque exculta sit, quaerere huius loci non est.[4]) Videamus tantum quasnam opiniones Romani cum Callistone stellificata coniunxerint. Et ipsa sidus suum regit, ut Helice, quod plaustrum est, Arcadi s. Arcturo conscendere non datum (Avien. II 260).

Originis Arcadicae saepissime mentionem iniciunt ethnicis usi *Arcadii* (sidus Sen. Oed. 477; astrum Val. Flacc. I 481; dea Val. Flacc. V 205; ursae Sen. Herc. fur. 130), *Erymanthius* (Erymanthidos ursae Ov. trist. I 4, 1; 11, 15), *Lycaonius* (Callisto Cat. LXVI 66; arctos Ov. Fast. III 793, Avien. III 759, 1340, Claudian. XXVI 246; axis Ov. trist. III 2, 2; chorei Avien. II 143; fax Avien. III 54; puella Man. III 359; ursa Av. II 118, 1230, *Maenalius* (Ov. Fast. II 192) *Maenalis* (ursa Ov. Trist. III 11, 8), *Odrysius* (triones Mart. VII 811), *Parrhasius* (Parrhasis Stat. Theb. VII 8; astra Stat. Theb. VIII 370; arctos Stat. Silv. IV 5, 5; axis Sen. Herc. Oet. 1281; fera Mart. Cap. VIIII 912; Helice[5]) Lucan. II 237; iugum Mart. VI 25, 2; stellae Ov. Fast. IV 577; triones Mart. VI 58, 1; virgo Ov. Trist. II 190; ursa Ov. Her. XVII 152; Sen. Phaedr. 288), *Tegeaeus* (virgo Ov. art. am. II 55).

Variae sunt occasiones etiam praeter fabularum narra-

---

[1]) Recepisse eam videtur Manilius I 276 de Arcto dicens: *omnia quae e summo despectant sidera caelo.*

[2]) Aegyptiis v. c. eam vindicat Plutarchus de Isid. et Osir. cap. XXI p. 36B, Indis hodiernis R. Andree *Ethnographische Parallelen u. Vergleiche* p. 105.

[3]) Qui Arcturus fit, v. supra p. 55.

[4]) v. R. Franz *De Callistonis fabula* Leipz. Stud. XII p. 235sqq.

[5]) Quae passim cum Callistone confunditur, v. supra.

tiones, quibus datis de septem trionibus sermonem faciunt Romanorum auctores. Cum ad boream stellae sitae sint, poetico sermone frigoris grandinis roris ventorum algidorum donatores praedicantur. Poetarum dico: nam si forte rudiores populi hoc pro vera re habuerunt, huius religionis apud Romanos nec vola nec vestigium apparet, cum similis superstitionis de canicula culta remanserint reliquiae poetarum. Ovidius dicit eas praecipuum frigus habere (ex Pont. IV 10, 39),[1]) Rhodopen solida nive verberare Statius (Theb. VIII 408); pruinosae arcti sunt apud Avienum II 693; adde pruinosum sidus Corp. script. eccl. lat. III 3 p. 315 v. 170. Si Martialis IV 3, 6 vocat Helicen madidis comis, imbrem hiemalem aut rorem matutinum significat. Grando exit ab arcto Stat. Theb. VI 400, venti sunt *phrenetici septentrionum filii* apud Varronem (sat. Men. frg. 271 Büch.[3]).[2]) Quo fiebat, ut septentrio in venti quoque nomen cederet: hic est Graecorum *ἀπαρκτίας*. Testes sunt Apuleius de mundo XII et XIII; cf. Veget. rei mil. IV 38 et PLM V p. 383 (LXX v. 4):

Primus Aparctias Arctoo spirat ab axe:
huic nostra nomen lingua est Septentrio fictum.

Quo fit, ut ipsius hiemis refugium fiant septentriones, v. Statii Silv. IV 5, 5: *iam trux ad Arctos Parrhasias hiems concessit.*

Iam brevem conspectum subiungam gravissimorum locorum, quibus epithetis quibusdam late viguisse hanc opinionem demonstratur. Adhibentur epitheta *borealis* (arctos Avien. III 242), *durus* (arctos Avien. III 451, 1290; axis Calp. ecl. VII 4), *frigens* (arctos Man. I 314), *frigidus* (arctos PLM IV p. 71 n. 36 v. 5, axis Sen. Herc. Oet. 1251, Med. 712), *gelidus* (triones Ov. Met. II 171, Claudian. VIII 429; arctos Ov. Met. IV 625, Stat. silv. III 5, 19, Theb. VI 400, Lucan. I 252, Val. Flacc. V 155, VI 140, Man. III 344; axis Ov.

[1]) Sescentis locis praeterea septem stellae frigoris causa dicuntur. Memorasse sufficiat Val. Flacc. IV 724: *immotos ursae rigor invenit amnes*, Lucan. II 640: *aequore denso pigra palus Scythici patiens Maeotia plaustri*, Mart. Cap. VI 608: *una (regio) vicinantis plaustri algore crustatur.*

[2]) Vide praeter eum Acc. v. 566 Ribb.; Ov. trist. I 2, 29, III 10, 11, III 11, 8; Stat. Theb. IV 422, XII 653; Paconius FPR ed. Bährens p. 360, 2. — Semel etiam *signa venturis procellis praescia* dicuntur Avien. II 123. *Flatus ursae* nominantur venti septentrionales ab Avieno III 637.

Trist. II 190, Man. III 357; Helice Man. IV 792; stellae axis Lucr. VI 720; gelido proxima signa polo Ov. Fast. IV 576), *glacialis* (ursa Sen. Herc. Oet. 1584, Herc. fur. 1140, Phaedr. 288; plaustrum Lucan. V 23), *hibernus* (arctos Mart. VII 7, 1), *horridus* (ursa Mart. VI 25, 2), *horrens* (arctos Stat. Theb. IV 384), *hospita insanis aquilonibus* Avien. II 116, *nivalis* (axis Val. Flacc. V 204; arctos Stat. Silv. IV 3, 153), *nivosus* (Helice Sen. Herc. Oet. 1539; arctos Avien. III 1232; septemtrio Avien. III 198; sidus Stat. Theb. VII 7), *rigidus* (arctos Avien. III 835, arcti ib. 971), *ventosus* (arctos Stat. Theb. XII 653).[1])

Quod veteribus septem triones regioni boreali frigora ferenti imminere videbantur, eo facile explicatur quomodo factum sit, ut in illam regionem eadem transferrentur vocabula, quibus stellas boreales exornabant. Ita pro terris septentrionalibus dictae occurrunt voces septentrio (v. supra p. 61), Arctos (v. c. Stat. Silv. IV 3, 153, Theb. V 78; Avien. III 1232), ursa (Mart. IV 11, 3, Rut. Nam. I 60 PLM V p. 6), plaustra (Avien. III 1212) similia. Epithetorum, quibus cum boreali regione nectuntur stellae, adnotem haec: *iuncta aquilonibus* (arctos, Ov. Met. II 132), *arcticus* (plaustra Sen. Med. 315), *arctous* (plaustrum Paconius v. FPR ed. Bährens p. 360, 2;[2]) plaustra Stat. Theb. V 529), *Geticus* (ursa Stat. Theb. IV 422; plaustrum Claudian. XXVI 247), *Hyperboreus* (triones Mart. IX 45, 1; trio Verg. Georg. III 381; ursa Lucan. V 23; Stat. Theb. I 693; Claudian. V 240), *Scythicus* (arctos Sidon. carm. VII 280; axis Sen. Herc. Oet. 1184; ursa Sen. Herc. Oet. 40; plaustrum Lucan. II 641; sidus Anth. Lat. II 1178 v. 25; triones Claudian. XX 238), *Sithonius* (arctos Stat. Theb. III 287; Man. I 610, Sen. Med. 404), *Strymonius* (arctos Stat. Theb. III 526).

Saepius etiam a poetis commemoratur septem triones in alto caelo positos esse et, quod inde sequitur, numquam occidere. Unde oriebantur hae ursae laudes: *aethereae* Arctos Sen. Thyest. 476; *alta* Arctos Sen. Herc. fur. 6, Oed. 507; *ardua* plaustra Mart. Cap. II 98; *celsae* ursae Avien. II 1307; *sublime* sidus Sen. Herc. fur. 7; *inocciduus axis* Lucan. VIII

[1]) *Ahenum* (plaustrum) fortasse cum Stephano et Baehrensio est legendum et his addendum epithetis apud Paconium FPR p. 360, 2.

[2]) *Arcto plaustro* codd., *Arctoo* corr. Vossius.

176; *inoccidui* triones Claudian. XXXVII = carm. min. LIII 11;[1]) signa nocturni *inscia* casus Avien. II 115. His testibus addam Ciceronem de nat. deor. II 105 et Lactantium instit. div. VII 14, 8 dicentes de septem stellis quae non occidunt.

Miro autem modo delectabantur poetarum Romanorum animi, cum aliis semper verbis exprimerent septentriones non occidere: hoc erat maris mediterranei accolis, non mergi Oceani fluctibus ut reliqua sidera. Quod iam Homeri temporibus a Graecis observatum erat (Il. XVIII 488, Od. V 274), et catasterismorum auctores causam esse affirmaverant Iunonis iram, quae Callistonem paelicem punire vellet a lavatione recreanti prohibitam (v. Ov. Met. II 527 sqq.; FPR ed. Bährens p. 327, 5) quae narratio praeclarum exemplum est fabulae aetiologicae quam vocamus. Quam narrationem sequuntur epitheta haec: *Arcti aequoris expertes* Ov. Met. XIII 727, *ignotae tumidis fluctibus Arcti* Germ. Ar. Phaen. 63, *immunis aequoris arctos* Ov. Met. XIII 293, *immunia liquidi ponti signa* Ov. Fast. IV 575; *immunis caeruleis aquis* Sen. Ag. 69; *stellae numquam tangentes aequor* Ov. trist. III 10, 3; *monstra numquam perfusa mari* Sen. Thyest. 867; *sicca plaustra* Gaetul. = FPR ed. Bähr. p. 361, 3, Lucan. IX 540; *sicca signa* Ov. Trist. IV 9, 18, *siccae Arcti* Ov. Trist. I 2, 29, Man. I 610, Sen. Med. 405; *sicca fera* Ov. trist. IV 3, 1; *liquidis quae caret Arctos aquis* Ov. Ib. 474; *ignis Oceano vetitus* Stat. Theb. VII 8; *nescia signa salis* Avien. II 115; *numquam tincta vadis* Man. V 696, *qui non mergitur undis axis* Lucan. VIII 175.

Neque mirum est, quod haec singularis apparitio vario modo in proprium usum a poetis adhibita est. Proximum erat, ut non vulgarem sequerentur fabulam, sed e contrario contenderent, non prohiberi ab Oceano stellas, sed reformidare eum. Quod Aratus repperit, v. phaen. 48: *ἄρκτοι κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο*, quem Vergilius imitatus esse videtur Georg. I 246 *arctos Oceani metuentes aequore tingui.*

Alio modo adhibebant septentrionum ab Oceano discidium poetae, dum rhetores secuti *ἀδυνατόν τι* significant. Cuius usus duo extant genera. Alterum quod fieri nequit plaustri exemplo illustrat: inauditum aliquid idem est atque ursae

[1]) Hunc in sensum dicuntur arcti a Germanico Ar. Phaen. 64: *semper inocciduis servantes ignibus axem.*

balneum. Hoc primus, quantum nos scimus, fecit Ovidius, qui Phaetontis fatum narrans addit Met. II 171:

tum primum radiis gelidi caluere Triones
et vetito frustra temptarunt aequore tingui.

Ovidii inventum ut par est arripuerunt Seneca (Med. 758 *vetitum mare | tetigistis ursae* et Claudianus (XXXV 189 *vetito se proluit Arctos | aequore* et XXXVII 11 = carm. min. LIII *Oceanum petit Arctos inocciduique Triones | occasum didicere pati*), dum Statius invidiam septem stellarum depingit, quod reliquae Oceano laventur (Theb. III 685). Aut in iure iurando septentrionum adhibetur exemplum, ita ut dicat qui iurat: non hoc fiet usque dum Oceano plaustrum mergatur. Exemplo afferam Senecam Oed. 507, iusiurandum pronuntiantem valens *altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos.* Se ipse imitatus est Seneca locis hisce: Med. 404 (*dum siccas polus | versabit Arctos*), Herc. Oet. 1584 (*ante descendet glacialis ursae | et sidus Ponto vetito fruetur*), Thyest. 476 (*aetherias prius perfundet Arctos pontus*), et Senecam Claudianus XLI 16 (*claraque se vetito proluet Ursa mari*).

Cum vero semper in caelo versaretur plaustrum, nova oriebatur difficultas. Vulgaris opinio stellas quippe quae maiore splendore niterent cum ex Oceano surgerent, non solum recreari sed et nutriri humore maritimo putabat.[1]) Itaque παράδοξον erat adnotandum: *sed lucet in astris | Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes*, v. Lactantius narr. fab. II 6 (FPR ed. Bährens p. 328, 6). Quomodo autem renovet, dixit Statius Theb. VII 8 sq.:

.. Oceano vetitum qua Parrhasis ignem
nubibus hibernis et nostro pascitur imbri.

Non decedunt de caelo septem triones, sed ut sunt centro proximi, satis tarde moventur. Quod eis saepius opprobrio vertitur. Sunt *pigri* (plaustra Mart. VIII 21, 3; sidera Mart. VI 58, 2, IX 45, 2; temo Stat. Theb. I 371; triones Claudian. VII 205), *segnes* (stellae Val. Flacc. I 482), *tardi* (Prop. III 31, 24). Quo motu retardato fit, ut plaustra videantur *languere* (Lucan. II 722; Stat. Theb. I 692).

Dum in caelo humanis oculis apparet, quam maxime fulgere solet plaustrum boreale; splendor eius a poetis celebrari

[1]) Vide supra p. 29 sq. et infra caput III.

solet. Audiunt stellae *fulgentes septem* Aus. VII 618 p. 108 P, *compta* plaustra Avien. II 143, *fulgens arctos* Man. I 275, 566, *lucida plaustra* Sen. Ag. 70[1]), *serenifera ursa* Avien. III 637, *ursa clara* Claud. XLI 16. Et bene intellegimus hoc splendore sideris numquam mergentis factum esse, ut acriter ab hominibus observatum sit. Imprimis a nautis, qui noctu cursum dirigere studebant. Iam Graecorum *ναύαρχοι* ad maiorem ursam se applicabant,[2]) dum Phoenices minorem praeferrent (Cic. Arat. frgm. VII = de nat. deor. II 105, Hyg. astr. II 2 p. 33 B; Manil. I 300 al.). Iam Ulixes Homericus in navigando plaustrum observabat (Od. V 273). Ut Romani primitus navigio non studebant, a Graecis hanc observationem eos traxisse veri simile est. Alludunt ad eam saepius eorum poetae, ut Propertius III 24, 24:

haec (Callisto) nocturna suo sidere vela regit.[3])

Sed non solum in mari, verum etiam in terra ursam observabant noctu mortales, scilicet ut noctis partes inde computarent.[4]) Quod iam Ennii aetate satis notum fuit, qui noctem progredi ex ascendente temone conclusit.[5]) Monendum enim est huius sideris non ortum atque occasum potuisse notari ut in reliquis, quippe quod non oriatur atque occidat, sed appareat et evanescat.[6]) Quare in eo motum circularem observabant, qui secundum anni tempora varius fuit. Mediam noctem Ovidius semel designat ita (Met. X 447):

tempus erat, quo cuncta silent; interque Triones
flexerat obliquo plaustrum temone Bootes.[7])

Simili modo tempus significat Lucanus (II 236):

---

[1]) Vide etiam supra p. 70.

[2]) v. A. Krichenbauer *Beiträge zur homerischen Uranologie* p. 35 sq. ad hanc conscuetudinem spectat, quod nonnulli dicunt Graecos *ἑλίκωπας, ὅτι πρὸς τὴν Ἑλίκην ἔχουσι τοὺς ὤπας πλέοντες*, v. schol. in Arat. v. 37 p. 348 Maass.

[3]) v. etiam Cic. Arat. l. l., Aetna 241, Man. I 298 sqq., Val. Flacc. I 17, Lucan. VIII 170, Sen. Herc. fur. 6, Stat. Theb. VIII 372.

[4]) Apud alios populos a mensura noctis plaustrum nomen traxit, v. R. Andree *Ethnographische Parallelen* p. 105.

[5]) Iph. frgm. II V[2], supra p. 66.

[6]) Unde *succendit plaustra Bootes* dixit Mart. Cap. II 98 de initio noctis; cf. etiam Man. I 619, Av. II 685.

[7]) Germanorum fabula est media nocte magno cum strepitu currum verti, v. J. Grimm l. s. p. 604.

sed nocte sopora
Parrhasis obliquos Helice cum verteret axes.

Plurimi autem poetae crepusculum matutinum verbis *axe verso* vel *temone verso*, nempe plaustri, indicare consuerunt, vide v. c. Ov. trist. I 3, 48; Stat. Theb. III 684; Sen. Herc. fur. 131.

Hactenus Romanorum poetarum carmina a Graecis inspirata. Restant nonnulla testimonia imperatorum aetate conscripta, quibus aliquid barbarae doctrinae inesse videatur. Supra diximus p. 75 divorum animas in astris versari, cuius rei in capite tertio planiorem mentionem faciemus. Tale quid subest et Lucani verbis I 52 *sedes in Arctoo orbe tibi legeris* et Claudiani VIII 429 *gelidi seu te meruere triones*. Quod autem arctos reliquis stellis praefertur, hoc astrologorum opinationibus factum videtur. Ut rex in summa arce, ita deorum numina in summo caelo habitabant, quae caelestis altitudo prope polum quaerebatur. Quo fiebat, ut astra quoque polo proxima singularem potentiam acciperent.[1]) Ita recentiores poetae ut divinam potentiam describant, saepius eam prope ursam habitare dicunt. Ita Claudianus XXXIII 101 sq.:

. . cum te laetissimus ornet
signifer et vario cingant splendore Triones.

Et Martianus Capella VIIII 912 de Iove:

sub te plaustrilucis luminat ignibus
anguis Parrhasias disiciens feras.

Astrologorum inventum tali sententia tradi coniecit E. Riess apud Paulium Wissowae II p. 1821. Quod haud ita certum mihi videtur: mysticum potius dicam. Sane in Hermetis Trismegisti scriptis haec opinio extitit (Stob. I 21, 9 p. 194 W) et in Graecorum papyros magicas manavit, quarum Parisina v. 1301 exhibet:[2]) *Ἄρχτε θεά, μεγίστη ἄρχουσα οὐρανοῦ, βασιλεύουσα πόλου . . ., σύστημα τοῦ παντός, πανφέγγης ἁρμονία τῶν ὅλων, . . . ἡ ἐπὶ τοῦ πόλου ἐφεστῶσα, ἣν ὁ κύριος θεὸς ἔταξε κραταιᾷ χερὶ στρέφειν τὸν ἱερὸν πόλον.* Similia de ursa

[1]) V. Fr. Boll *Sphaera* p. 163.

[2]) Ed. C. Wessely in *Denkschriften der Wiener Akademie* XXXVI 1888 *2. Abteilung* p. 77.

dicta leguntur in eadem charta circa versum septingentesimum, de quibus fusius egit A. Dieterich *Eine Mithrasliturgie* p. 72 sq., qui Persicas quoque his opinionibus interesse putabat.[1])

Talium sententiarum mysticarum ne apud Romanos quidem ramenta desunt. Narrat Suetonius Aug. 80 de divo Augusto: *corpore traditur maculoso, dispersis per pectus et alvum genetivis notis in modum et ordinem ac numerum stellarum caelestis ursae.* Hoc narratum esse planum est, ut appareret non sine divino auxilio eum imperium adeptum esse, qui a numinibus imagine stellae cuncta moderantis signatus esset.[2]) Sed praeter has superstitiones, de quarum origine certum iudicium ferre non valeo, re vera astrologorum quoque opinationes de ursa fata hominum regente Romanas litteras invaserunt. Quorum e numero proferam Manilium V 694 sqq.:

at revoluta polo cum primis vultibus Arctos
ad sua perpetuos revocat vestigia passus,
695 numquam tincta vadis, sed semper flexilis orbe, . . .
700 non inimica ferae tali sub tempore natis
ora ferent, placidasque regent commercia gentis.
ille manu vastos poterit frenare leones . . .

Sidus regens regnum ei permittit, imprimis in feras, ut ipse sidus e ferarum numero est (v. 704 *nec fugiet validas cognati sideris ursas*).

Ubi Christianorum convaluit religio, tali superstitioni

[1]) Neque deerant inter Persas, qui singularem de ursa sententiam ferrent, cum edicerent *daß das Gestirn des großen Bären sich um das Höllentor drehe mit 99999 Geistern der Gerechten, um die zahllosen Teufel in der Hölle zurückzuhalten* (A. Hillebrandt *Zarathustra und Zendavesta, Nord und Süd* 59 p. 53).

[2]) Ad hanc sideris vim spectant nummi quoque quidam Graeco-aegyti, quibus ursa depicta est superposita stella, v. J. J. Bachofen l. s. p. 17 sq. — Nonnumquam, septem stellae sunt insigne vel gentis vel urbis cuiusdam. Sicut erant insigne Lucretiorum Trionum (v. Th. Mommsen *Röm. Forsch.* I 44, Marquardt-Mau *Privatleben der Römer* = *Hdb. d. röm. Altert.* VII p. 14, 7) septem stellae, quae cum cognomine cohaerebant. Ph. Harsdörffer l. l. II p. 312 Felicem Ursinum commemorat, cuius divisa fuerit ursa caelestis superscriptis verbis: *vertitur, non occidit, sine occasu felix.* J. Grimm l. l. p. 604 sigilla urbium Belgicarum laudat, quibus septemtriones insculpti erant. Indicatur his insignibus, quanta sit potestas istarum urbium.

finem facere coepit. Opus erat strenua impugnatione cum ipsorum doctrinam inquinare sententiae paganae conarentur. Vidimus supra in Pap. Par. 1301 sqq. ursae regnum caeleste tribui a Christianorum deo (κύριος ὁ θεός).

Itaque Isidorus de nat. rer. XXVI 4 plaustrum tantum agnoscit idque symbolum ecclesiae esse[1]) vult, cuius tres et quattuor stellae respondeant fidei trinitatis et operationi quattuor virtutum. Et ut fabulas de Callistone et Arcade narratas delerent, aut ursam dixerunt sed eandem atque illam, quae XLII pueros Elisam illudentes devoraverit (II Reg. 2, 24), aut currum, sed igneum illum, qui Eliam in caelum sustulerit (II Reg. 2, 11), v. Bartschii planisphaerium p. 81, Schickardi astroscopium p. 100. *Navem Petri* dixerat ursam Jul. Schiller *Caelum stellatum christianum*, v. F. Piper *Mythologie der christl. Kunst* I 2 p. 307. Neque discrepat ab his christianorum interpretamentis, quod Graecorum qui hodie sunt est cognominatio popularis ἁμάξι τοῦ Δαυίδ, Italorum *carro di Davide*, Francogallorum *Chariot de David*: v. N. G. Politis *Μέλεται περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς γλώσσης τοῦ ἑλληνικοῦ λάου* II p. 815.

Sed sive ursam sive currum vel carrum dixerunt posteri, non multum ex opinionibus illis, quas veteres de septem trionibus habuerant, retinuerunt. Postquam enim magnes lapis et chronometrae inventa sunt, neque ad dirigendas naves neque ad metiendas vigilias adhibentur; hodie tantum propter splendorem eximium, si omnino, a vulgo noscuntur.

---

§ 2. De iugulis

I. De iugularum nominibus.

Iugula, -ae vel *iugulae, -arum* fem.: proficiscendum nobis est e Varronis loco de l. l. VII 50: *Apud Plautum: neque iugula neque vesperugo neque vergiliae occi-*

[1]) Sequitur Isidorus Eucherium et Gregorium, qui fusius hanc sententiam excoluerant. v. F. Piper l. l. I, 2 p. 299.

dunt. Iugula signum, quod Accius appellat Oriona, cum ait: citius Orion pallescit.[1]) *Huius signi caput dicitur ex tribus stellis, quas infra duae clarae, quas appellant umeros; inter quas quod videtur iugulum, iugula dicta.*

Indicatur Plauti versus nobis notissimus Amphitr. 275, ubi tamen initio secundum Plautinos codices legitur *nec iugulae*. Non est cur huic lectioni fidem derogemus: quod tum tantum liceret, cum nullum aliud *iugulae* fem. gen. exemplum haberemus. Sed ea, ut paulo infra videbimus, non desunt. Quaeritur autem, utrum Varro *iugula* esse voluerit nominativum casum singularis numeri an pluralis, utrum femininum an neutrum genus praetulerit. Si verba eius accuratius perlegeris, fortasse mecum sumes eum de singulari numero feminini generis cogitasse. Aliter enim scripsisset: *quod videntur iugula, iugula dicta.*

Habemus igitur Plauto teste *iugulas*, Varronis opinione *iugulam*. Plautum sequitur Manilius V 174:

> nunc cancro vicina canam, cui parte sinistra
> consurgunt iugulae.[2])

At cum Varrone faciunt Paulus Festi p. 104 M: *iugula stella Orion, quod amplior ceteris, quasi nux iuglandis.* Et Isidorus Orig. III 70, 11 de Orione: *hunc Latini iugulam vocant, quod sit armatus, ut gladius, et stellarum luce terribilis atque clarissimus.*[3])

Plures locos, quibus iugulae commemorarentur, non inveni. Itaque iam ad aliud transeuntes quaeramus, quomodo haec appellatio a viris doctis sit explicata. Varronis Festi Isidori conamina iam cognovimus; recentiorum L. Ideler l. s. p. 222 cum Varrone facit, cum reliqui nova veriloquia addiderint.

---

[1]) Sic Bücheler apud Ribbeckium Trag. Rom. Fragm.[3] p. 261 v. 693.

[2]) Scaliger ad hunc locum adnotaverat Manilium per errorem non Orionem, sed asellos ita appellasse. Sed hunc errorem statuere necessarium non sit, v. Turnebi Advers. p. 840 (ed. Basil. 1581).

[3]) Ex Isidoro hausit Anonym. de computo cap. 142. Vide etiam corp. gloss. II p. 93: *iugula Ἀστρον Ὠρίωνος*, E. Maass comm. in Arat. rel. p. 246 rec. int. 5: *Hunc Latini iugulam vocant.* Schol. in Germ. p. 93, 20 163, 1. 11 B.

Quorum Pottius l. l. II 2, 1249 iugulas derivat a *iungere*, ut sit iunctura, cingulum: *ein Gestirn, das den Gürtel des Orion bildet, also wohl eigentlich als Gürtel.* Simili modo iugulas et *iungere* componit O. Keller *latein. Volksetymologie* p. 35, et E. Maassius *Griechen und Semiten auf dem Isthmus von Korinth* p. 116 iugulam fuisse dicit idem quod cingulum, cingulum trium stellarum in Orione maxime splendentium.[1])

Iam ut nostram sententiam statuamus, prius agamus de opinionibus aperte falsis, quarum Festi sive Verrii Flacci sententia stare non potest; nam iugula stella magna cum iuglande nuce praegrandi comparare tum tantum liceret, si *guła* idem esset atque stella. Neque Isidoro plaudendum est, qui iugulam explicat per gladium iugulans. Iam Varronis examinemus sententiam. Si mappam caeli stellati evolveris,[2]) animadvertes claris duabus stellis, quas Beteigeuzen et Bellatricem astronomi nominant, tres obscuriores imminere, quarum compositionem revera pro capite cum umeris habere possis, coniunctis iugulo h. e. clavicula. Sed concedendum erit artificiose hanc imaginem excogitatam esse neque umquam hominem rudiorem talem figuram suis oculis videre potuisse, praesertim cum splendidissimae cinguli quod vocatur stellae omnino neglegantur, cumque interiores partes humani corporis nulla adhuc scientia anatomica vigente nondum cogitaverint. Quod si conceditur, Varronem protulisse doctorum sententiam putabimus, qui veram appellationis causam iam non cognoverint. Quare denuo nobis inquirendi via est ingredienda. Neque enim vel recentiorum conamina mihi satis faciunt, quippe qui ab ipsius nominis veriloquio nimis longe recedant, inducti Orionis imagine nostratibus accepta.

Ego a te peto, ut Orionis stellas consideres, cum cingulum non a dextra ad sinistrum, sed e superiore caeli parte ad inferiorem tendit. Tum iuga plaustri vel aratri conferas, qualia veteres habuerint qualiaque depinxit Richius *Illa-*

[1]) J. Vossius in glossario suo *iŭgulas* ab aqua *iugi* derivat. Hoc vel propter prosodiam falsum est.

[2]) Adhibui Stielerum *Hand-Atlas*, ed. nonae (Gothae 1905) mappam No. 1.

striertes Wörterbuch der römischen Altertümer p. 332. Comparanti apparebunt haec:

Utramque imaginem eandem esse libenter concedes.[1]) Cingulum pro extremo temone cedit, cuius in utraque parte singula iuga eriguntur, e quibus lora dependent. Fortasse haec lora a veteribus Romanis appellabantur *iugulae*, eadem ratione a radice *iug-* deductae, quo Graecorum ξεῦγλαι a ξευγ-.[2]) Quod si verum sit, ab his loris sidus primitus vocabatur *iugulae*, et *iugula* postea inde deducebatur. Sed hoc non putaverim, quoniam iumentorum iuga cogitanti lignum, non lorum prius in mentem venit. Itaque ego existimem sidus illud a veteribus appellatum esse *iugula* (plur. neutr.), quod prisci nomades vel agricolae iugum duplex plaustri vel aratri aspicere se arbitrabantur.[3]) Quod eis, qui plaustrum et temonem constituerant, difficile non erat. Postea autem hoc neutrum genus pluralis numeri pro feminino singularis habuerunt, et analogia nominum *vergiliae suculae* adducti novum finxerunt pluralem *iugulae*. Simile quid accidit voci *mendum*, plur. *menda*, cui postea substituerunt *menda*, plur. *mendae*.[4]) Notes autem praeterea formam deminutivam, de qua capite tertio in commune erit dicendum.

Vidimus iugularum nomen per totum linguae Latinae vitam notam fuisse, a Plauto ad Isidorum. Sed raro tantum

---

[1]) Idem sentit scholiasta in Germ. Ar. p. 93 sq. B, qui dicit: *hic (Orion) latine iugula appellatur, quem ad modum et apparet stellis figuratus VIII.*

[2]) v. A. Walde *Lat. etymol. Wörterbuch* p. 311.

[3]) Eodem modo interpretatus est Hilarius, qui in Genesi v. 70 (Corp. script. eccl. lat. XXIII 233) *iuga* dicit.

[4]) v. Lindsay-Nohl *Die lateinische Sprache* p. 459.

occurrit, plerique Orionis nomine utuntur, quod Graecorum vocabulum adeo viguit, ut vel apud scriptores rei rusticae patriam notionem repressserit, nisi quod semel in Columellae scriptis XI 2, 76 ab uno codice additur *tantummodo iugulae exoriuntur vespere.*

Orion, -onis masc.: teste Varrone iam apud Accium legebatur (v. 693 Ribb.). Nomen est e Graecorum fabulis receptum notissimi illius venatoris, quem iam Homerus tamquam heroem (Od. XI 572 sqq.) et sidus (Il. XVIII 486, Od. V 274) novit. Quomodo veteres Graeci in iugulis hominem venantem conspexerint, videas apud Thileum *Antike Himmelsbilder* p. 120 passim. Quales fabulas veteres de Orione narraverint et quomodo nomen eius explicaverint, id tantum commemoremus quatenus Latini auctores ex his pendent.[1])

Aevi enim Augustei poetae Orionem in deliciis habent. Graecum se celebrare haud ignorant, cum accusativo graeco utantur *Oriona* (v. c. Ov. Fast. V 493, Man. I 387, Stat. Theb. IX 461). Cumque saepius Graecorum poetae formam adhibuerint *Ὠαρίων* (v. Callim. hymn. III 265), hanc quoque recipiunt (Cat. LXVI 94, Rut. Nam. I 637 = PLM V p. 27, Paconius FPR 361, 1). Narrabant autem veteres Orionem ortum esse ex semine Iovis Neptuni Mercurii: *ἐγένετο ὁ Οὐρίων οὕτως ὀνομασθεὶς διὰ τὸ οὐρῆσαι τοὺς θεούς* (Palaeph. LI p. 71 Festa). Unde idem veriloquium apud Ovidium recurrit Fast. V 531 sq., Hyg. astr. II 34 p. 72 B,[2]) Isid. orig. III 70, 10, qui tamen non de deorum semine, sed *ab urina, id est ab inundatione aquarum* Orionem appellatum contendit. Praeterea nihil notabile de nomine in singulis, nisi quod Isidorus de nat. rer. XXVI 8 *Oriones* pluraliter novit, maiore stellarum numero ut pluralem faceret fortasse eodem modo adductus quo is, qui primus *iugulas* dixit: appellatae autem sunt omnes stellae

[1]) Reliqua vide a Küntzlio collata in Roscheri lexic. mythol. III 1018 sqq.; neque affero Pottii (*Kuhns Zeitschrift* VI 275) aut Maassii (l. l. p. 117) etymologias, quae graecam originem, non latinam necessario spectent.

[2]) Buttmannus l. s. p. 62 hanc fabellam secutus veteres sidus pro pelle bovina habuisse, quam dii comminxerint, edixit. Quod nulla illius sideris appellatione confirmatur.

Oriones ut Castor et Pollux interdum vocabantur Castores. Servatum est Orionis nomen a recentioribus populis, ut a nostratibus: Itali tres medias stellas lucidissimas appellant *cingolo di Orione.*

Tertia quaedam significatio huius sideris est *Incolo.* Quod apud Arati tantum interpretes legitur, v. Maassii comment. in Arat. rell. p. 246, 16: *obliquus* (sc. *Orion*) *quidem Tauro sed non sub nomine vocatur ipse Incolo*; ib. rec. int. 2: *Orion, qui et Incolo dicitur*; p. 119, 21 = 118, 24 *occidit autem totus fluvius Incolo δύνει δὲ ὅλος ποταμὸς Ὠρίων*; p. 120, 7 = 121, 7: *δύνει δὲ κύων ὅλος Ὠρίων occidit autem Incolo*; p. 122, 23 = 123, 18, 135, 2, 138, 8 = 139, 6; schol. Germ. p. 109, 2, 4. 122, 17. 162, 12; p. 225, 13. 14; *Orion qui et incolo dicitur*, ib. 20.[1]) Accusativus casus *Incolum* extat p. 161, 6: *videbis autem a sinistris Incolum.*

Quid hoc astronomorum vocabulum sibi vellet eruere mihi non contigit; fortasse infra in addendis nonnulla proferre licebit.

II. De iugularum opinionibus.

E vetere Romanorum nomine *iugulae* patet principio nullam cum sidere coniunctam fuisse opinionem fabulosam, non magis quam cum plaustro et temone.[2]) Ubi vero Orionis appellatio recipitur, simul et variae Graecorum sententiae irruunt: quales feras quaque in caeli parte persequatur, vario modo narratur. Minores stellas infra sinistram cinguli partem pro ense habuerunt, quo fit ut iam Euripidi Ion. 1153 *ὁ ξιφήρης Ὠρίων* et Arato Phaen. 588 *Ὠρίων ξίφεός γε μὲν ἶφι πεποιθώς* notus sit. Etiam Romani Orionis ensem saepius

[1]) Sic libri; quos semper falso correxit iugulae vocem intrudens Schaubachius eumque secutus Breysigius, nam libri iugulam solum memorant, cum de vetere Latinorum loquantur cognomine, v. c. 163, 1, 11; 93, 20.

[2]) Haud aliter nostratium appellationes se habent, v. J. Grimm l. s. p. 606 de cingulo Orionis: *Dieselben drei Sterne führen unter dem Volk in Oberdeutschland bis auf heute den Namen der drei Mader, weil sie drei auf der Wiese nebeneinanderstehenden Mädern gleichen . . . ahd. glossen nennen den Orion pfluoc (aratrum), in rheinischen Gegenden heißt er auch Rechen (rastrum), er ist ein Gerät der Ackerer und Mäder.*

commemorant, v. c. Ov. Met. VIII 207. XIII 294. art. am. II 56 (*ensiger Orion*), Fast. IV 388 (*ensiger Orion*); Lucan. I 665 (*ensifer Orion*);[1]) ensis est aureus Verg. Aen. III 517, auratus Avien. II 723. Quin etiam pro integro Orione ensem ponere ausus est Val. Flacc. II 67 sq.:

> Pleiades Hyadumque locos, quo sidere vibret
> ensis et Arctaeus niteat quo luce Bootes.

Et a gladio nomen iugulae derivabat Isidorus, ut supra p. 84 vidimus.

Demittitur ensis a balteo splendidissimo, noto illo Orionis cingulo. Quod saepius a poetis celebratur tamquam *balteus rubens* (Avien. II 723), *cingula ardentia* (Avien. II 1100, 1375), *succinctus Orion* (Claud. VII 171), *zona* (Ov. Fast. VI 787; cf. Plin. Nat. hist. XVIII 288); *septa Orionis* commemorat Priscillianus tract. I 31. Omnino autem tamquam armis suis belli terrorem prae se ferens apparet Orion, Lucan. I 665. Talem terrorem imprimis inicit caeli, cuius magnam partem implet (Man. V 12, Luc. Ampel. III), sideribus, quae formidant eum (Stat. Silv. I 1, 45; Sen. Herc. fur. 12; Avien. II 584).

Neque minus ipsis hominibus vim et pericula minabatur. Numeratur enim inter *horrida sidera, a quibus procellae exeunt* teste Plinio Nat. hist. XVIII 278. Neque difficile est huius opinionis causam invenire: occidebat enim et oriebatur temporibus anni tempestate iniqua famosis. Notae sunt procellae aequinoctiales, et tradit idem Plinius Nat. hist. XVIII 246 circa aequinoctium vernum *Aegypto Orionem et gladium eius incipi abscondi.* Altera ex parte dicit Isidorus de nat. rer. XVI 8: *hi quippe Oriones in ipso pondere temporis hiemalis exoriuntur suoque ortu imbres et tempestates excitant et maria terrasque perturbant.* Quare nautis infestus depingitur v. c. a Vergilio, Aen. I 535 sqq.:

> cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
> in vada caeca tulit penitusque procacibus austris
> perque undas superante salo perque invia saxa
> dispulit.

Similia canunt Verg. Aen. VII 719; Hor. carm. I 28, 21,

[1]) *mucrone minans* dicitur a Statio Silv. I 1, 44.

III 27, 17, Epod. XV 7; Stat. Theb. III 27, IX 461, silv. III 2, 77; Claudian. XXI 287.

Et terris mala auguria dabat idem sidus, cuius gladius sanguinem sitiebat secundum Lucanum I 665:

> ensiferi nimium fulget[1]) latus Orionis.
> imminet armorum rabies, ferrique potestas
> confundet ius omne manu, scelerique nefando
> nomen erit virtus, multosque exibit in annos
> hic furor.

At minas Orionis pace firmata in ludibrium verti posse ominatur Claudianus I 27: astrorum minitantium fulgor frustra deperit,

> iam caligantibus armis
> debilis Orion dextram minatur inertem.

Iam nostro more perlustratis poetarum opinionibus breviter eorum epitheta congeramus. Est Orion propter magnitudinem et rutilum splendorem *aureus* Man. V 724; *clarus* Cir. 535; *formidatus* Avien. II 584; *ingens* Avien. II 1170; *magnus* Verg. Aen. X 763; *nitens* Cic. Arat. v. 102; *rutilans* Avien. II 1100; *rutilus* Avien. II 526, 801, 1316. Propter procellas et pericula quae minitatur audit *aquosus* Verg. Aen. IV 52, Prop. III 8, 51; *infestus nautis* Hor. epod. XV 7; *minax* Sen. Herc. fur. 12; *niger* Stat. Theb. IX 461; *nimbosus* Verg. Aen. I 535; *nubilus* Claudian. XXI 287; *procellosus* PLM V p. 27 v. 637; *saevus* Verg. Aen. VII 719; *tristis* Hor. epod. X 10; *trux* Avien. II 249. Ut situs eius in caelo describatur, semel dicitur *devexus* Hor. carm. I 28, 21, semel *pronus* Hor. carm. III 27, 18.

Sed ad Lucani locum supra laudatum redeundum est. Qui I 639 sqq. Nigidium Figulum, astrologiae inter Romanos virum doctissimum, futura e stellarum iunctura canentem inducit. Qui salutifera astra latere, at Orionem nimis fulgere dixit, quo bella scelesta ac diuturna indicarentur. Haec prima sunt vestigia artis chaldaicae in dies apud Romanos inveteras-

[1]) Romanis ex splendore Orionis tempestatem praedicere consuesse non inveni. At his Lucani verbis similia dici videntur, quae scholiis ad Germ. Arat., quibus haec doctrina traditur: *qui* (sc. Orion) *si fulget, serenitatem portendit, si obscuratur, tempestatem innuit imminere* p. 163, 3. 13 B.

centis. Fusius de ea loquitur Manilius, cuius verba huc spectantia addere iuvat I 387 sqq.:

> Cernere vicinum Geminis licet Oriona,
> in magnam caeli tendentem bracchia partem,
> nec minus extento surgentem sidera passu;
> singula fulgentes humeros cui lumina signant,
> et tribus obliquis demissus ducitur ensis.
> At caput Orion excelso immensus Olympo
> per tria subducto signatur lumina vultu;
> non quod clara minus, sed quod magis alta recedant.
> Hoc duce per totum decurrunt sidera mundum.[1])

Hinc videre possumus, quomodo veteres poetae figuram venatoris cum iugularum stellis consociaverint. Quid in genitura hoc sidus secundum astrologiam valuerit, docemur Firmico Materno Mathes. VIII 16, qui sub eo nasci vult homines anxios inquietos, legatos peregre morientes. Procelloso nempe sidere exagitantur.

Atque haec de astrologis. Christianorum denique Isidorus de nat. rer. XXVI 8 Oriones symbolice interpretatur: *significant martyres, nam sicut isti nascuntur in caelo tempore hiemis, ita in ecclesia martyres procedunt tempore persecutionis.*

Postremo tempore, si Barrschio l. s. p. 96 fidem habere velis, Christiani varia de iugulis fabulabantur.[2]) Aut sacras scripturas secuti Iosiam eum dixerunt vincentem Amoraeos et Cananaeos (Jos. 11), vel Ismaelium (Gen. XXI 20): Iosephum, uxorem Mariae, eum dixerat Jul. Schiller *Caelum stellatum christianum*, v. P. Piper l. l. p. 307: alii venatorem vel giganta putabant, Orionis debilem memoriam servantes, aut denique aratrum; de quo vide supra p. 88 adn. 1.

---

[1]) *Ab Orione enim principium australium signorum, quorum insigniora .. toti orbi illucescunt*: commentarius Stoeberi Argent. 1767. Qua observatione explanatur, quamobrem Orion caeli custos in australi parte dicatur a Claudiano VII 171: *australes reserat portas succinctus Orion.*

[2]) Cum Christianorum doctrinis cohaeret, quod apud nostrates cingulum Orionis plerumque dicitur *Jakobstab* vel *Stab des heiligen Jakob.*

§ 3. De Vergiliis

I. De Vergiliarum nominibus.

Vergiliae, -arum fem.: significatio vere Latina pliadum sideris primum apud Plautum occurrit (Amphitr. 275) et deinde plurimis locis usque ad extrema Latinitatis tempora, ita tamen, ut posteriores scribant *virgiliae*, v. c. Bellum Africanum XLVII, Arati commentatores apud Maassium p. 107, schol. Germ. p. 114, 10; 142, 19; 235, 31 B. At genuinam formam per *e* litteram scribendam esse iam eo probatur, quod veterum veriloquia ad unum omnia *vergilias* deducunt a *vere*, v. Festum p. 372 M: *vergiliae dictae, quod earum ortu ver finitur, aestas incipit*, ubi Paulus epitomator idem fere repetens p. 373 habet: *virgiliae dictae quod earum ortu ver finem facit.*[1])

Postquam de primaria vocis forma constat, explicanda haec videtur esse. Atque veteres quid senserint, modo comperimus. Tamen hanc interpretationem, quae vocis exitum plane neglegat, non sufficere per se patet. Itaque recentiores audiendi sunt. Quorum Pottius (*Kuhns Zeitschrift* VI 266) cohaerere *vergilias* cum verbo *vergere* dixit, appellatas quod vere vergente oriantur ut sint quasi *die Wendesterne*, Niedermannus (*E und i im Latein.*, diss. Basil. 1897 p. 74) vergilias stellas esse vergentes, quod idem sit ac vagantes. Sed cum in utraque explicatione causa appellationis non ita simplex sit quam in rudiore populo exspectamus, ego tertiam probo, quam post J. Vossium (*Etym. linguae latinae* p. 648, s. v.) et Nitzschium (in adnotationibus ad Hom. Odyss. V 272) certius stabilivit O. Keller *Latein. Volksetym.* p. 45: *Vergiliae ist gebildet wie* porciliae *von* porculus, haediliae *von* haedulus, *also von* vergula, *Zweiglein. Es bedeutet eigentlich das Büschel-, Zweig-gestirn, das Dolden- oder traubenartige Gestirn und fällt bildlich zusammen mit dem von den Homerscholien zu Il. XVIII 486 er-*

[1]) Similia his inveniuntur apud Hygin. astr. II 21 (p. 64 B), Serv. Georg. I 138, schol. Germ. p. 149, 3. 15 B, Isidor. Orig. III 70, 13 (*a temporis significatione, quod est ver, quando exoriuntur*).

haltenen griechischen Namen βότρυς = Traube für die Pleiaden. Quae graeca vox aptissime hanc parvarum ignium coacervationem significat[1]) atque etiam scholiis ad Arati v. 254 ascriptis occurrit, et quod iam hoc loco monere licet, hic illic in Latinorum sermonem recepta est. Dicit enim Isidorus de nat. rer. XXVI 6: *pliades sunt multae inges stellae, quas etiam botrum appellamus a multitudine stellarum.* Et notat Gregorius Turonensis episcopus (de cursu stellarum c. LI ed. Haase Vratisl. 1853): *Vergilias ... quidam massam vocant, nonnulli Pleiades, plerique vero butrionem.*

Harum notionum *massa* nihil aliud videtur nisi Graecorum πλειάς, multitudo, in Latinum conversa, et *butrio* corruptum e Graecorum βότρυον. Utrum qui vocem butrio scripsit, de trione cogitaverit, id quod Haasius voluit, necne dirimere non audeo.

Neque *massa* neque *botrus* tam late viguisse videntur, quam *vergiliae*, quarum nomen, ut exemplum afferam, in Plinii naturali historia tricies fere extat.[2]) Neque defuerunt, qui Vergilii poetae nomen cum hac stellarum appellatione conecterent, ut esset fatum eius cum vergulis coniunctum; v. Pottium l. l. p. 286. Id cohaerere cum virgulis constat, sed quales virgulas ante oculos habuerit nominis inventor nescimus.

Pleias, -adis fem.: hoc a Graecis tractum est, a quibus id sidus aut singulari numero πλειάς (Eur. Iph. Aul. 8 ἐγγὺς τῆς ἑπταπόρου πλειάδος) aut plurali πλειάδες (Rhes. 530 ἑπτάποροι πλειάδες αἰθερίαι) dicitur; tertia quaedam forma erat πελειάς (Eur. Or. 1005 ἑπταπόρου τε δρόμημα πελειάδος iure restituta). Quomodo haec Graeca vox explicanda sit, certo nondum constat. Plures inter se certant opiniones inde ab antiquis temporibus,[3]) quarum eas tantum tangam, quae Romanis quoque innotuerunt. Primum τὰς πλειάδας derivant ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod nautis oriendo et occidendo initium et

[1]) Conferas Slovenorum nomen *gostosénsi, die Dichtgesäten* Grimm l. l. p. 608 et *tew tewdws = der dichte Haufen* ib. III p. 213 s. 608.

[2]) Nescius sum, quare Arati commentatores nonnumquam vergilias ad Graecorum χηλαί transtulerint, v. Maassium p. 158 sq. v. 50, p. 195, 18,19.

[3]) v. Vaničekium l s. p. 526.

finem indicant navigationis (Hes. oper. 615. 618): hoc Latinorum habent Vegetius mil. epit. IIII 39 et Servius Georg. I 138.[1])

Alii vero πλειάδες cohaerere cum πλει- h. e. *plures* putant, ut sit multitudo. Huius etymologiae auctor est Hyginus fab. CXCII p. 146 B: *et quia plures erant, Pleiades dictae.*[2]) Similia leguntur Hygin. astron. II 21 p. 63 B, Serv. Georg. I 138 qui diversas explicandi rationes in unum congessit, Isidor. orig. III 70, 13, de nat. rer. XXVI 6, schol. Germ. p. 149, 2 14 B.[3])

Plerique autem Romani vocem origine omnino non curata in usum suum verterunt. Atque primum pluralis forma occurrit *Pleiades* apud Propertium, Graecorum studiosum imitatorem, III 8, 51. Originis peregrinae et accusativus *Pleiadas* testimonium apud Vergilium Georg. I 138, Manilium V 711, Ausonium XVIII 13, 24 (p. 244 P). Avienum II 1806 obvius. Ut haec forma ad Graecorum πληιάδες reducitur — Vergilius l. s. imitatur Homericum illud *Πληϊάδας θ' Ὑάδας τε* Il. XVIII 486 — sic ad formam vulgatam *Πλειάδες* dicitur *Pliades.*[4]) Hoc habent v. c. Ov. Fast. V 599, Veget. mil. epit. IV 39, Isid. de nat. rer. XXVI 6, orig. III 70, 13; accusativo casu *Pliadas* Ov. Fast. V 599, Val. Flacc. V 305, Stat. Theb. IV 120, IX 460, Hygin. astron. II 21 p. 63 B al.

Sed praeter pluralem formam singularis quoque occurrit inde ab aevo Augusteo. *Pleias* legitur apud Ovidium Met. I

---

[1]) Recentiorum secuti sunt Bartschius (l. l. p. 90) et Th. Benfey qui πλειάδες deducit a radice πλο- h. e. fluere navigare (*griech. Wurzellexicon* s. v.). At Lorentzius *Die Taube im Altertum* Progr. Wurzen 1886 p. 35 pleiadas ad radicem sanscriteam *plu* h. e. pluere reduxit, ut pluviales stellae essent. Et Roscherus pleiades stellas esse pluviales interpretatur v. *Hermes der Windgott*, Leipzig 1878 p. 30.

[2]) Alteram a Hygino eodem loco prolatam sententiam (*ita nominatas quia inter se coniunctae, quod est πλησίον, adeo autem confertae sunt, ut vix numerentur*) memorasse satis habeo, cum aperte falsa sit.

[3]) Recentiorum huic sententiae in universum spectatae favent L. Ideler l. l. p. 144; Pottius l. l. p. 283 sqq.; contra eam disputat A. Baumgartner *Zur Geschichte und Literatur der griech. Sternbilder* p. 18, qui ipse a forma πλειάδες profectus sidus illud pro columbis habet, cuius verilogui testes iam Athenaeus congesserat XI p. 481 E seqq.; probat hanc etymologiam et J. Ilberg in Roscheri lexico myth. III p. 2551. Cuius rei apud Romanos vestigia non inveni, qui et formam peleiades spreverunt.

[4]) v. Statii Silvas cum Vollmeri commentario p. 558.

670, Fast. V 664: *Pleas* Verg. Georg. IV 233, *Plias* Ov. Her. XVII 188, Germ. Arat. phaen. 266, 708, Val. Flacc. II 407, Lucan. II 722, Stat. Silv. I 6, 22, III 2, 76, Rutil. Nam. I v. 186 = PLM V p. 11. Genetivus casus *Pliadae* Romana terminatione praeditus legitur apud Priscillianum Iob. XXXVIII 31; accusativus graecus *Pliada* Germ. rel. IV 9, Val. Flacc. II 357; ablativus *Pliade* extat v. c. apud Ovidium Fast. V 447, Val. Flacc. I 647, IV 269, Lucan. VIII 852. Praeter libros lapides perquirentem me semel cognomen mulieris ex hoc sidere petitum offendit CIL II 3137 OCTAVIAE PLIADI. Cui qua de causa hoc inditum sit, nescio.

Italorum doctiores qui hodie sunt, astra *pleiade* appellant, Lusitani *pleiada*, Francogalli *pleiades*. Nostrates quoque intermediis Romanis vocem Graecam receperunt.

Commemorasse denique sufficiet usum quendam poeticum singularem vergilias *Pleiones* vel *Pleionen* appellandi. Hic quoque e Graecorum fabulis ducitur. Tradit enim Hyginus astron. II 21 p. 63 B secundum certos auctores Pliadas appellatas *quod ex Plione Oceani et Atlante sint natae.*[1]) Qua genealogia Valerius Flaccus, cui Pleione innotuerat (I 735), commotus cecinit II 67 de *Pleiones Hyadumque locis.*

Neque tamen concedam vergilias umquam a Romanis *septistellium* vel simile quid appellatas esse, quod concineret cum Graecorum ἑπτάστερον vel ἑπτάστερος (v. E. Maass comment. in Arat. rel. p. 230: διὰ καὶ ἑπτάστερον καλεῖται; ib. p. 212). Fuerunt qui hoc ediderent[2]) commoti versu Ovidiano Fast. IV 170:

quae septem dici, sex tamen esse solent.

His verbis poeta non contendit vergilias septem stellas appellari, sed dici a populo septem numero eas esse. Quod demonstratur aliis poetarum Romanorum locis, v. c. Ciceronis Arat. v. 29 = PLM I p. 8:

hae septem vulgo perhibentur more vetusto
stellae, cernuntur vero sex undique parvae.

Praeterea veteres poetae septem stellis indiderant mythica

[1]) v. Serv. Georg. I 138, Pottium l. s. p. 283.
[2]) v. Pottium l. s. p. 283.

nomina, ut hac quoque de causa Ovidius suo iure *dici* scripserit, ut in sequentibus autumat Cicero v. 32:[1])

ratione sine ulla
septem dicier, ut veteres statuere poetae,
aeterno cunctas sane qui nomine dignant.

Actum sit igitur de opinione illa vergilias quoque quondam septem triones appellatas fuisse.

II. De Vergiliarum opinionibus.

Veteres Romani, qui Pliadum stellas virgam aliquam esse putabant bacis consitam uvaeque similem, ut eligerent appellationem vergilias simplici ratione, non religione ducebantur. Et si postea superstitiones nonnullae de vergiliis Romanis acceptae fuerunt, eo ut cultum eis velut caniculae instituerent, processisse non videntur.

Ut sidus haud ita lucidum appellatione discernerent, adducebantur observatis eius ortu et occasu, quos concinere cum anni temporibus agricolae necessariis animadverterant. Hoc idem Graecis quoque acciderat, quorum iam Hesiodus cecinit Oper. 383 sq.:

Πληϊάδων Ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων
ἄρχεσθ' ἀμήτου, ἀρότοιο δὲ δυσομενάων.

Quod cum ita sit, oritur difficultas secernendi, de Vergiliis quid Romani ipsi statuerint quidque a Graecis acceperint. Certum tantum est ad hos redire poetas, qui ad Aratum se applicarunt, Ciceronem dico Germanicum Avienum, ut omnino poetas colores e Graecia sibi comparasse veri est simile, cum in scriptoribus solutae orationis saepius dubites, patrias an peregrinas opiniones tradant.

Incipiam tamen a prosae orationis auctoribus utpote minus graecissantibus. Quorum Plinius nos monet, quanti momenti vergiliae Romanis agricolis fuerint, Nat. hist. XVIII 280: *namque vergiliae primatum attinent ad fructus, ut quarum exortu aestas incipiat, occasu hiems, semenstri spatio intra se messes vindemiasque et omnium maturitatem complexae*,[2]) atque serendi

[1]) v. Arat. v. 254 sqq.; Germ. Arat. 259 sqq.

[2]) Cf. etiam Plin. Nat. hist. II 123 sqq., Hygin. astron. II 21 p. 64 B.

officium accuratius ad vergilias idem adnectit Nat. hist. XVIII 223: *incipiemus a sementibus frumenti hoc est vergiliarum occasu matutino.*[1]) Et discernit XVIII 49: *hiberna, quae circa vergiliarum occasum sata terra per hiemem nutriuntur, ut triticum, far, hordeum*; *aestiva, quae aestate ante vergiliarum exortum seruntur, ut milium, panicum, sesima, horminum, irio, Italiae dumtaxat ritu.* His verbis commode monemur non solum Graecos auctores respici a Plinio.[2]) Sed praeter frumenta etiam legumina ad vergilias seruntur (Nat. hist. XVIII 120), et omnino varia negotia rustica ex observatione vergiliarum descripta sunt, v. Varronem de re rust. II 11, 4: *caseum facere incipiunt a vergiliis vernis exortis ad aestivas vergilias.* Apium omnis cultura, ut apud Graecos,[3]) ad vergiliarum stationes composita erat (Varro de re rust. III 16, Plin. Nat. hist. XI 43; Colum. de re rust. IX 14, 1), vitium et olearum cura itemque vindemia eadem ratione instituebatur (Plin. Nat. hist. XVII 130, 188, XVIII 319), unde fit, ut vitibus oleisque favens sidus dicatur Nat. hist. XVI 104; si autem orientibus vergiliis pluit, inimicissimum et viti et oleae est (Nat. hist. XVII 11). Quamobrem factum est, ut in fastis quoque vergiliarum mentio fieret, v. c. in Fastis Venusinis ad septimum Mai mensis diem (CIL I² p. 221). Reliquos locos, ubi Vergiliae ad definiendum anni tempus commemorantur, enumerare longum est.[4])

Superstitionum antiquarum, in quibus Vergiliarum fit mentio, primam afferam, earum exortu mel salutare ex aëre labi. Hanc cum siderum complurium motu coniunctam et fortasse a Graecis desumptam esse supra diximus (pag. 46), cum de Sirio ageremus. Et eodem modo quo exoriente Sirio messes quales futurae essent augurabantur (pag. 34), olei caritatem Graecorum Democritum, Romanorum Sextium e vergiliarum ortu praedixisse narrat Plinius Nat. hist. XVIII 273. Quod quomodo praedici posset, idem Plinius servavit

[1]) Cf. praeterea ib. 201 sq., ubi Hesiodus l. c. et Vergilius Georg. I 219 sqq. laudantur.

[2]) Poenos quoque in serendo vergilias observasse fortasse concludatur e Nat. hist. XVII 131.

[3]) Aristot. hist. animal. V 22, 4.

[4]) Ut Liv. XXI 35; Bell. African. XLVII, Curt. Ruf. V 6, 12.

Nat. hist. XVIII 225: *ex occasu (vergiliarum) de hieme augurantur quibus est cura insidiandi, negotiatores avari. Ita nubilo occasu pluviosam hiemem denuntiant, statimque augent lacernarum pretia; sereno asperam, et reliquarum vestium accendunt.* Eo quod Plinius addit *indocilem caeli agricolam* hiemis rationem e foliorum casu aut tardiore aut maturiore agnoscere, demonstratur hanc opinionem primitus Romanam non fuisse. Valet de his quod omnino de tempestatis prognosticis: nonnulla recte observata esse, pleraque non satis firmis argumentis inventa. Hoc etiam in calendaria quadrat, quorum auctores saepius talia vaticinabantur qualia Columella XI 2, 36: *decimo Kal. Maias Vergiliae cum sole oriuntur, Africus vel Auster. dies humidus.*[1]) Talia de temporibus, quibus vergiliae oriuntur et occidunt, in universum praedici possunt (Veg. mil. epit. IV 39), in singulos dies non possunt.[2])

Atque haec ex Romanorum auctoribus pedestribus de Vergiliis petita sufficiant; iam ad poetas transeamus, qui ad unum omnes Graeco nomine Pliadis vel Pliadum utuntur, excepto Propertio, qui semel latine dixit I 8, 10:

et sit iners tardis navita Vergiliis.

Plerumque Pliadas poetae adhibent, ut ex earum occasu hiemem incipere, pluvios nives ventos regnare designent,[3]) imaginibus evocatis qualis est apud Valerium Flaccum V 415:

Pliades e madidis rorantes crinibus imbres.[4])

Tales loci sunt Prop. III 8, 51, IIII 5, 36; Ov. Art. am. I 409; Val. Flacc. II 357; Hilar. genes. v. 69 (Corp. script. eccl. lat. XXIII p. 233). Imprimis autem in undas exercent hanc nefastam potestatem, ut Horatius ait carm. IV 14, 20 sqq.:

indomitus prope qualis undas
exercet auster, Pleiadum choro
scindente nubes.

[1]) Ita iam Hesiodus opp. 619 sqq.:

εἴτ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄβριμον Ὠρίωνος
φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠεροειδέα πόντον,
δὴ τότε παντοίων ἀνέμων θύνουσαι ἄϊται.

[2]) Alias aliarum gentium cogitationes huc spectantes enumerat Tylor *Anfänge der Kultur* I 286 sq.

[3]) Vide et Hesiodi versus modo allatos.

[4]) v. Köstlinum Philolog. XXXVIII 57.

Quare nautis infestae Pliades occiduae dicuntur: Ov. Her. XVII 188, ex Pont. II 7, 58; Val. Flacc. II 406, IV 269, V 305; Man. I 371; Sen. Herc. fur. 10; Rut. Nam. I 186 (PLM V p. 11); Claudian. XXVI 209. Quod ex Graecorum exemplis tractum esse iam eo probatur, quod nautarum graeca stellarum nomina inventa esse dixit Vergilius Georg. I 137 sq.:

navita tunc stellis numeros et nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton.

Epithetis in talibus descriptionibus ornatur Pliadis vel Pliadum sidus hisce: *aegrum* (lumina) Avien. II 571; *aquosum* Stat. Theb. IV 120; *asperum* Val. Flacc. II 407; *imbriferum* Lucan. VIII 852; *madidum* Claudian. VIII 438;[1]) *nimbosum* Val. Flacc. II 357, *nivosum* Stat. Silv. I 3; 95; *nubilum* Stat. Silv. III 2, 76; (*nimbis*) *solutum* Stat. Silv. I 6, 22; *udum* Ov. Fast. V 664.

Exorientes Pleiades nautis e contrario faustae erant; quod tamen rarius commemoratur, v. c. Val. Flacc. V 46.

Saepius autem immiscentur Graecorum fabulae, quibus Pleiades septem filiae Atlantis et Pleiones erant. Quin etiam earum nomina ex Arato phaen. 259 sqq. receperunt, veluti Cicero Arat. v. 35 sq.:

Alcyone Meropeque, Celaeno Taygeteque,
Electra Asteropeque, simul sanctissima Maia.

Cum vero ex his septem sex tantum oculis conspiciantur, variae adinventae sunt fabulae, cur septima lateret, quas, quoniam Romanae non sunt, non afferam; commemorem tantum tractasse eas Ovidium Fast. IV 170 sqq., V 81 sqq.; Germanicum Arat. phaen. 280 sqq.[2]); Avienum II 568 sqq.

Plerique poetae, quibus fabulae illae innotuerunt, tamen non septem Pleiones et Atlantis filias enumerant, sed satis habent, dum appellant eas *Atlantides* Hesiodum (v. s. p. 96) secuti (Verg. Georg. I 221, Sen. Herc. fur. 11, Avien. II 604) aut *Atlanteas* (Ov. Fast. III 105) aut *Atlantida* (Pleias Lucan.

---

[1]) *madidus occasus* Pliadum dicitur ab Avieno II 1805.

[2]) V. Hygin. astron. II 21 p. 63 B, fabul. CXCII p. 145 B, Mythogr. lat. ed. Bode I 73, Avien. II 582 sqq., Schol. Germ. p. 76, 83, 149. Recentiorum dissertationes nuperrime congessit J. Ilberg in Roscheri Lex. myth. III p. 2549 sqq.

V 4).[1]) Hae virgines *densae* (Val. Flacc. V 414) *chorum* efficiunt (Hor. carm. IV 14, 21, Prop. IV 5, 36);[2]) *agmen* (Ov. Fast. V 599), *globum* (Val. Flacc. V 46), *gregem* (Herc. fur. 11), *greges* (Sen. Med. 96). Raro una vel altera suo nomine appellatur: *Taygete* (Verg. Georg. IV 239,[3]) Ov. Met. III 595), *Sterope* (Ov. trist. I 11, 14), *Maia* (Verg. Georg. I 225).[4])

Astrologorum Chaldaea sapientia a Graecis et Romanis exculta septem sorores chorum ducentes in mulieres luxuriosas mutavit, quae cultum elegantiorem eis tradunt, qui sub ipsarum imperio nascuntur. Quod apparet e Manilii longa descriptione V 142 sqq., quae incipit:

quibus aspirantibus almam
in lucem eduntur Bacchi Venerisque sequaces . .

Neque abhorrent a Manilio, quae Firmicus Maternus tradit Math. VIII 7, nisi quod addit hoc fieri orientibus Vergiliis, occidentibus autem qui natus sit necessario fluctibus periturum. Hoc quoque facile ex iis, quae supra p. 99 attulimus, explicabitur.

Restat ut de Christianis perpauca addamus. Secundum Hilarium vergilias pluvium dare supra diximus; Isidorus de nat. rer. XXVI 6 de numero nominibus viribus vergiliarum veterum doctrinam retinebat, quibus *quod septem sunt et splendide micant, sancti omnes septiformi spiritus virtute fulgentes significantur.* Recentiorum affero Bartschium qui l. s. p. 90 vergilias germanice appellat *das Siebengestirn, vulgo die Gluckhenne*, et gallinam vult recipi, quod hoc animal praedicaverit Iesus Nazarenus Ev. Matth. XXIII 37. Etiam Martinus

---

[1]) A celeberrima sororum omnes *Maiades* appellavit Wandelbertus Prumensis, aevi Carolingi poeta, de mensium XII nom. v. 119 (mon. germ. hist. poet. II p. 606).

[2]) v. Eurip. Electrae 467 sqq.:

ἄστρων τ' αἰθέριοι χοροί,
πλειάδες Ὑάδες.

[3]) Hic *os* stellae commemoratur, quod Avienus II 588 sq. imitatus est; *vultus femineus rubro pyropo suffusus* dicitur Man. V 712. Semel etiam de *pede* Pliadis sermo est Verg. Georg. IV 240 (*Oceani spretos pede reppulit amnes*).

[4]) Omisso nomine semel *mater* dicitur sidus (sc. Mercurii) ab Ovidio Met. II 839.

Luther locos Amos V 8 et Iob IX 9 per *Gluckhenne* vertit, ubi de Vergiliis Hebraeorum vocabulum usurpatur, quod *globulus* significat.[1])

§ 4. De suculis

I. De sucularum nominibus.

Suculae, -arum fem.: deest haec appellatio apud veteres poetas Catonem Varronem. Primus ea utitur Cicero qui de nat. deor. II 111 commemoratis Hyadibus pergit: *nostri imperite Suculas, quasi a subus essent, non ab imbribus nominatae.* Ciceronem excipit libertus eius Tiro, cuius sententiam servavit Gellius Noct. Att. XIII 9, 4, qui hac quidem in re magistri in verba iuravit. Gellius autem ipse veteres Romanos ab imperitia defendens tamen veriloquium suculae id est hyades ἀπὸ τοῦ ὕειν retinet. Etiam Festus h. e. Verrius Flaccus p. 301 M, quantum e miseris verborum laciniis suspicari licet, suculas pluviales e Graecorum τὸ ὕειν dixerat. Reliqui huius etymologiae antistites sunt Servius et Probus in Georg. I 138, Isidorus orig. III 70, 12, schol. Germ. Sangerm. p. 205, 7 B. Praeter grammaticos utuntur ea voce Plinius saepius (Nat. Hist. II 106, 110, XVIII 247) et Columella, qui vario modo aut plurali numero utitur aut singulari. Scribit enim de re rust. XI 2, 35: *Pridie idus Apriles Suculae celantur, hiemat*; ib. 36: XIIII *Kal. Maias Suculae se vesperi celant, pluviam significat*; ib. 89: *pridie Kal. Decembres totae suculae occidunt.* At XI 2, 39: *Nonas Maias sucula cum sole exoritur*; ib. 89: *undecimo Kal. Decembres sucula mane occidit: hiemat.* Praeterea usurpant hoc cognomen scholiastae in Germanici Aratea passim v. c. p. 136, 17; 205, 210 al.

Quando usus vocis *sucularum* perierit, certo non scimus. Grammatici enim fortasse doctam tantum traditionem servarunt ipsorum temporibus iam emortuam.[2]) At secundo saeculo vox

[1]) Hoc ab Ilbergio l. s. p. 2556 libenter didici, qui admonet et Hebraeorum חִיָּה et Latinorum vergiliis eandem subesse imaginem.

[2]) Ita iudico de glossa Corp. gloss. lat. III p. 293, 17: *ὑάδες suculae*,

adhuc vivida erat; Lucius enim Ampelius, qui tunc vixisse videtur, libri memorialis c. III notat: *Hyades, quae a nobis suculae dicuntur.* Neque quando ea significatio orta sit, a limine constat. Cicero eiusque asseclae loquuntur de significatione e graeco conversa. Quod fortasse accipiendum esset, si Romana vox cum Graeca concineret. Sed ubi id non fit, non de versione re vera facta cogitandum, sed autoschediasma Tullianum statuendum erit. Sumamus igitur *suculas* sidus illud a Latinis appellatum esse neque quidquam eis cum Graecorum Hyadibus commune esse. Quodsi verum est, quaeramus iam, quid significet. Qua de re dubitare non datur. Sucula est forma deminutiva vocis sus. Legitur in titulis parietariis Pompeianis CIL IV 2013 *vana succula* de muliere luxuriante dictum; etiam Plautus in Rudente 1170 dixerat *cum sucula et cum porculis.* Iam si sidus in ipso caelo contemplamur, unam splendidam stellam videmus, circa quam minores arte pressae circumiacent, tamquam porcelli circa suculam.[1]) Non dubito, quin hic situs sideri nomen dederit, inditum ab Italorum rusticis.[2])

Neque causa est cur negetur, mero casui deberi quod ante Ciceronem nemo huius sideris mentionem facit. Quod fortasse eam ob rem fiebat, quod suculae in anno rustico nihil valent, cuius partes iam ad vergiliarum stationes descriptae erant. Si vero singulari forma interdum utitur Columella, unam illam splendidam stellam ante oculos habuit, quae inter reliquas plane eodem modo eminet quo sucula inter porculos. Quin etiam, si in mentem revocaveris, quae supra de Orione et Orionibus diximus (p. 87), fortasse statues *suculas* postea tantum appellatas esse a splendidiore *sucula.*

His expositis paene putavi abundare virorum doctorum diversas sententias enumerare. Sed quod in reliquis stellis factum est, hic quoque fiat. Veterum ab eis, quos modo attuli, discrepat Nigidius Figulus, cuius opinionem servavit

[1]) Simile quid Britanni veteres in Orione conspexisse videntur. Cf. Grimmium l. s. p. 606: *ags. vielleicht mehr alts. glossen übertragen Orion durch eburdring . . . der sinn muß sein Eberhaufe.*

[2]) Qui ad Verg. Georg. I 138 adnotavit interpres a nautis nomen inventum esse in errorem a Vergilio inductus est, qui a nautis Hyadas repertas esse dixerat.

Serv. Aen. I 744, dum suculas habet pro succum ferentibus, et succum pro humore pluviali, ita ut iterum sint ὑάδες. Isidorus Orig. III 70, 12 et commentarius Vergilianus modo p. 102 adn. 2 memoratus huius doctrinae vestigia presserunt. Factum est hoc veriloquio succoso, ut medio aevo de *succulis* loquerentur, quae pronuntiatio magis ad sermonem vulgarem accedebat.[1]) Scribit anonymus de computo c. CXLVII *Hyades dictae ab Hyan idest a succo et pluviis*; et Bridefortus Ramesiensis in commentario ad Bedae de rer. nat. c. XI: *succulae stellae dictae quasi sub oculis: sunt enim in fronte Tauri. vel a succo, quod succum ministrant.* Dixerat enim ipse Beda loco erroris pleno de signis caeli 14 (Maass l. l. p. 586): *taurus habet stellas . . . per singulos oculos singulas . . . hae autem stellae Pleiades et Vergiliae, nec non et subuculae dicuntur.* Redit idem epigoni cuiusdam inventum qui cultius se pro *succulis* dicturum putabat *subuculas* in Arato latino s. VIII, qui dicit (Maassius p. 211 l. s.): *Tauri quoque frons quae subuculae nominantur* (p. 212, 19)*: hae septem Subuculae dicuntur.*

Recentiores denique ut solent inter se discrepant. Ciceronem laudant Vossius Etym. p. 296 s. v.; L. Ideler l. l. p. 140, Pottius *Kuhns Zeitschrift* VI 280,[2]) Engelmannus in Roscheri Lexico myth. I 2752, K. Büchel *Sternnamen* (*Progr. Realsch. Eilbeck, Hamburg* 1905) A. Walde l. l. p. 612. Cum voce graeca ὑάδες, quam tamen idem valere quod porcellos putant, suculas componunt A. Baumgartner l. l. p. 20 et Thiele *Antike Himmelsbilder* p. 2, meo iudicio haud recte. Nam bene omnino Graecorum appellationem seiungendam esse a voce *suculae* vere latina monuit Corssenus l. l. p. 513,[3]) quod iam contenderat

[1]) Vide titulum supra p. 102 laudatum CIL IV 2013.

[2]) Qui tamen *Etymol. Forsch.* II 1380 aliter iudicat.

[3]) Non faciam cum Ricciolo l. s. I p. 399, cuius interpretatio artificiosior est. Nam cum suculae in formam V litterae dispositae sint, hanc figuram a veteribus pro rictu suillo habitam esse existimat, unde nomen deductum. Itemque non plaudo J. Möller qui in *studiis Manilianis* diss. Marb. 1901 p. 4 ex Manilio V 125 concludit suculas dictas esse, quod post earum exortum suum greges ad pastum ducuntur; est versus: *immundosve greges agitant per sordida rura*, quo nihil aliud dicitur nisi Hyadibus bella cientibus greges sordere, rura esse inculta. — Cum sucula machina tractoria (Cato de re rust. XII al.) nil habet similitudinis constellatio caelestis.

Nitzschius in adn. ad Hom. Od. V 272. Itaque *suculae* conferendae sunt cum *canicula*, quae eadem bestiola est, et cum trionibus plaustro iugulis, quae item ab agricolis sunt appellatae.

Sidus Parilicium: huius appellationis unicus testis est Plinius Nat. Hist. XVIII 247: (*sucularum sidus*) *est vulgo appellatum sidus Parilicium, quoniam XI Kalend. Maias urbis Romae natalis habetur quo fere serenitas redditur, claritatem observationi dedit.* Vocis originem et causam Plinius affert; sidus ab eo appellabatur, quod Parilium laetissimo pastorum die oriebatur. Quam late autem et ad tempus et ad homines huius vocis usus percrebruerit, plane nescimus neque certi quid concludere licet ex eo quod schol. Germ. p. 205, 2 de suculis dicatur: *quod vulgo appellatur sidus Parilicium, quoniam XI Kal. Mai urbis Romae natalis habetur*, cum hoc ex Plinio desumptum esse sole clarius sit.

Hyades, *-um* fem.: cognominatio a Graecis petita, unde et accusativus graecus *Hyadas* legitur v. c. Ov. Fast. III 105, V 166, VI 197, trist. I 11, 16; Verg. Aen. I 744; Hor. carm. I 3, 14; Sen. Med. 312, Thyest. 853; Auson. XVIII 13, 24 p. 244 P. Singularis forma *Hyas* non nisi perraro adhibetur imprimis ab Ovidio in Fastorum l. V, ubi Hyadum fabulosa origo narratur; commemoratur a poeta *Hyas* quidam (v. 170, 182), a quo Hyades nomen duxerint, cuius genetivus *Hyantis* est (v. 734), accusativus *Hyan* v. 179. Feminino genere collective dicit Stat. Silv. I 6, 21 *Hyas inserena.*

Graecae vocis ubi etymon lateret, vario modo statuerunt ipsi veteres; plerique cum Ovidio faciunt Fast. V 166:

Navita quas Hyadas Graius ab imbre vocat.

Quorum in numero sunt Cic. de nat. deor. II 111; Plin. II 110, XVIII 247 alii.[1]) Ovidium praeterea ab Hyante heroe fabuloso eorum appellationem derivasse modo diximus, quocum consentit Hyginus astron. II 21 p. 63 B et Claudianus XXVIII 172, qui eas *germanas* dicit vestigia fratris servantes.[2])

[1]) Recentiorum hoc veriloquium probant Th. Benfey l. l. s. v. et Engelmannus apud Roscherum l. s., reiciunt Buttmannus l. l. p. 20 et Baumgartner l. l. p. 20, monentes ortum Hyadum tempore sereno fieri mense Maio, diu post pluvias vernas.

[2]) v. Pottium in ephemeride Kuhnii VI p. 280.

Praeter hos autem fuerunt qui derivarent Hyadum nomen a graeca littera Y, quorum antiquior forma fuit V, in cuius imaginem suculae re vera dispositae sunt. Hac in sententia non commorer, quoniam a Romanis vix memoratur; sed habet v. c. Hygin. fabul. CXCII p. 145 B.[1])

Plerique autem Romanorum auctores, imprimis poetae, hyadum nomine utuntur neque curant eius originem. Adeoque huius vocabuli usus evanuit, ut sucularum notio paulatim obscurata sit, cum Hyades hodie quoque ab Italis et Francogallis appellentur.

II. De sucularum opinionibus.

Veteres Romani satis habuisse videntur, dum certo nomine, quid in hoc stellarum globo conspicere putabant, appellabant. Neque amplius sidus illud observabant, nisi quod Parilium diem festum eius exortu indicari volebant. Erat cum putarem intercedere nexum similem inter Palem fertilitatis deam et suculam fertilem bestiam atque inter caniculam et catularium sacrum. Sed hoc statui nequit, nam suculam cum Pale non cohaerere eo demonstratur, quod Pali porcis non sacrificatur, cui incruenta tantum libantur. Audi Ovidium Fast. IV 743 sqq. canentem de donis Parilibus:

> libaque de milio milii fiscella sequetur:
> rustica praecipue est hoc dea laeta cibo.
> adde dapes mulctramque suas, dapibusque resectis
> silvicolam tepido lacte precare Palem.[2])

Vitae autem cotidianae usui erant suculae, siquidem, id quod affirmat Ampelius lib. mem. III, earum ortus et occasus a nautis et agricolis observabantur. Rusticae observationis

[1]) Praeter Hyginum adscripsit eam Arati interpres graecus ad v. 173, v. Roberti Eratosth. catast. p. 110, E. Maass comm. Arat. rel. p. 369, 18; 388, 20; 390, 5, schol. Germ. p. 136, 11 sq. B; defendit eam Buttmannus l. s. p. 20, impugnat Baumgärtner l. l. p. 19. Novam sententiam protulit H. Usener *Götternamen* p. 42, Hyadas esse quasi *σεσάδας* stellas in caelo bacchantes. Sed rectius fortasse iam Hesychius Hyadas *ὑάδας* h. e. suculas esse dixit, cui explicationi Thiele l. s. et Baumgartner favent.

[2]) v. praeterea Wissowam apud Roscherum III p. 1279.

testem Columellam supra p. 101 attulimus. Cui constabat sucularum apparitiones citare tempestates, quod imprimis tum factum esse per se patet, cum mense Decembri mane occiderent. Unde evenit, ut omnino Hyadas pluvium excitare putarent,[1]) ut v. c. Plinius Nat. Hist. II 106 ventos et imbres excitari dixit, quod *in suculis sentimus accidere, quas Graeci ob id pluvio nomine appellant.* Hoc praecipue poetae arripiunt quorum ait Ovidius Fast. VI 197:

Postera lux Hyadas, Taurinae cornua frontis,[2])
evocat et multa terra madescit aqua,

et trist. I 11, 16:

Aut Hyadas seris hauserat auster aquis.

Hoc dicitur ad diem alterum Iunii mensis, ubi mane oriuntur suculae. Non quovis anno tum pluisse certum est, sed Hyadum potestas a Decembri mense in aestatem prorogabatur. Neque mirum est suculis saepius a poetis epitheta tribui madida. Enotavi haec: *inserena nimbis* (*Hyas*) Stat. Silv. I 6, 21; *pluviae* (*Hyades*) Verg. Aen. I 744, III 516, Sen. Med. 312; *tristes* Hor. carm. I 3, 14; *udae* Rut. Nam. I 633 (PLM V p. 27). Per se patet stellas, quae pluviam et tempestatem ferant, nautis perniciosas esse. Hoc munus, quod cum vergiliis commune habent, tribuitur suculis Ov. Met. III 595, Fast. V 166; Sen. Med. 312; Auson. XVIII 13, 24 p. 244 P.

Fabulas quas Alexandrinorum poetae excoluerunt, passim a poetis Romanis receptae et excultae sunt. Quorum locos praecipuos commemorasse satis erit: Ov. Fast. V 167 sqq.[3]); Claudian. XXVIII 172. Vide praeter poetas Hyginum astron. II 21 p. 62 sq. B.

Valuisse aliquid suculas in arte magica concludere possis ex Senecae Med. 769: *Hyadesque nostris cantibus motae labant.*

---

[1]) V. locos ad veriloquium *ἀπὸ τοῦ ὗειν* supra p. 104 allatos.

[2]) Itaque aevo Augusteo tauri imaginem Romani a Graecorum astronomis receperant, quorum iam Aratus cecinerat v. 172 sqq.: *οὐδέ τοι αὖτως | νήκουστοι ὑάδες, ταὶ μὲν ᾧ ἐπὶ πάντι μετώπῳ | ταύρου βεβλέανται.* Quare saepius Hyades ad Tauri speciem trahuntur, v. Germ. Arat. Phaen. 178, Man. I 378, Sen. Thyest. 852, Avien. II 434.

[3]) Qui tamen v. 164 *Hyadum toto de grege* dicit, ubi fortasse ut Romanus gregis suilli memor fuit.

Sed ibi Hyades pro quolibet stellarum nomine ponitur, quae Medeae vim magicam senserint.

Neque vero astrologi sucularum potestatem neglexerunt. Fusior de ea est Manilius V 119sqq.:

surgent hyades. Quo tempore natis
nulla quies placet; in nullo sunt otia fructu;
sed populum turbamque petunt, rerumque tumultus.

Intellegitur hoc e procellosa sideris natura deductum esse.

Tamen et Graecum sucularum etymon ἀπὸ τοῦ συὸς Manilio notum fuisse patet e v. 126:

et fidum Laertiadae genuere syboten.

Cum Manilio prorsus facit Firmicus Maternus, qui Math. VIII 6 de hominibus sub Hyade natis disserit: fiunt inquieti turbulenti populares, bubulci opiliones armentarii.

Christiani denique paganorum nominibus usi sunt. Nova tantum accedit opinio suculas, quas re vera cum oculo humano componere possis, oculum esse dei omnia videntis: quae imaginatio deducta est e Psalmo XCIV 9 et Sirach XXIII 28, v. Bartschium l. l. p. 90.

Praeter septentriones iugulas vergilias suculas siderum nomina quae vere Romana essent, non repperi. Quare harum explicatione absoluta capiti secundo finem hic imponam.

CAPVT TERTIVM

De stellis in universum de stellis cadentibus et cincinnatis nec non de via lactea

§ 1. De stellis in universum.

Flammarum caelestium nomina communia habuerunt veteres Romani haec: stellas astra signa sidera.[1]) Quas appellationes deinceps consideremus.

Stella, *-ae* fem.: unde derivanda esset vocula Romani ipsi qui imperatorum aetate de ea quaesiverunt haud sciebant. Cuius rei testis disertus est Quintilianus qui dicit instit. orat. I 6, 35: *sic perveniemus eo usque ut stella luminis stilla credatur, cuius etymologiae auctorem clarum sane in litteris nominari in ea parte, qua a me reprehenditur, inhumanum est.*[2]) Hoc docti cuiusdam grammatici veriloquium rem acu non tetigisse per se patet. Idem valet de originatione, quam proferunt Martianus Capella VIII 817 et Servius in Aen. V 42, qui stellas a *stando* deducunt,[3]) nec non de Vergilii grammatici[4]) etymologia, qui

[1]) Ad quae accedunt poetarum inventa *ignis flamma lux lumen.*

[2]) Alii alium opinabantur his verbis refutari velut Burmannus Palaemonem (v. commentatorum adnotationes ad hunc locum). Sed res incerta videtur, quoniam argumentis aliis deficientibus auctorem eruere non possumus.

[3]) Quippe quae in caelo fixae stent. hoc repetit Isidorus Orig. III 70, 3. Similem vim tribuit verbo E. H. Meyer, qui in adnotationibus ad J. Grimm librum saepius laudatum stellas a *sidendo* derivandas esse contendit (III pag. 204).

[4]) Epitom. p. 85, 9 H.

eas derivat de *stellando*. Quod cum ita sit, haud mirabimur recentiores a veterum opinionibus recessisse et novas etymologias statuisse. Quorum G. Vossius l. l. s. v. deducit stellam *a σέλας lumen adiecto τ vel a τέλλω (ἀνατέλλω) praeposito sibilo vel quod imprimis placet κατ' ἀφαίρεσιν fit ex ἀστέρα*. Atque confirmat hanc coniecturam eo, quod latini casus *ab obliquis Graecorum rectos suos firmare solent*. Quae Vossii autoschediasmata posteriore aevo a viris doctis longe relicta sunt, qui cognoverunt stellam deductam esse ex forma *sterula*.[1]) Quam formam pendere ex radice *star*, quae eadem recurrat in verbo *sternere*, ita ut stellae appellentur, aut quod in caelo stratae sint, aut quod ipsae lumen sternant.[2]) Sed hanc ultimam sententiam labefactavit G. Curtius l. l. p. 206, dum radicem *star* de luce nusquam adhiberi, quin immo huius radicis primitivam vim qualis fuerit statui hodie iam non posse demonstravit.[3]) Quare acquiescamus affirmantes *stellam* a radice *star* incertae notionis esse derivatam.

Ab eadem radice pendet Graecorum ἄστρον,[4]) quod Augustea fere aetate a Romanorum poetis receptum et eodem modo quo stellae nomen usurpatum est. Cuius rei exempla afferre supersedeo, cum omnia exhibeat Thesaurus linguae latinae s. v. *astrum*. Nec non eadem est origo vocis *aster*, quae vero rarius legitur a Romanis adhibita. Loci quibus scripta sit, leges diligentissime collectos in Thesauro linguae latinae s. v. *aster*.

Ubi singulas stellas uno conspectu consideratas in imaginem quandam composuerunt, hanc imaginem *sidus* vel *signum* Romani appellarunt, quorum *signum* quippe quod per se planum sit, explicatione non indiget.

Sidus, *-eris* neutr.: vocis originem veteres vario modo declarabant. Varro enim l. l. VII 14 composuit cum verbo *insidere*, Isidorus (de diff. verb. 495, orig. III 70, 4) cum *con-*

---

[1]) V. L. Döderlein l. l. IV p. 413, A. F. Pott *Etymol. Forschungen* II 3 p. 708; A. Walde l. l. p. 593 s. v.

[2]) V. Th. Benfey l. l. I p. 661, A. F. Pott l. l. II 3 p. 708; A. Walde l. l. p. 593 s. v.

[3]) Neque deerant qui contenderent vocem esse sumptam ex lingua, qua usi sint Semitae, v. A. Walde l. l.: sed cum origo indogermana negari non possit, haec cogitatio reicienda est.

[4]) V. A. Walde l. l.

siderando, eo quod ea navigantes considerando dirigunt cursum consiliumque ne fallacibus undis aut ventis alibi deducantur. Riccioli l. l. I p. 393 omisso auctorum nomine nos reicit ad eos,[1]) qui putent *convenire nomen sideris, quasi oriundi a Graeco συνείδειν: hoc est ab eo quod simul plures in eo stellae videantur.* Probat vero aliam sententiam, qua verbum quippe latinum derivetur *a sedendo sive subsidendo in occasu.* Recentiorum L. Döderlein conicit sidus deductum esse a *sigo* h. e. *dico* (l. l. IV pag. 413 sq.) aut a Graecorum εἶδος (ib. VI pag. 334; v. J. Bartsch loco infra in adnotatione laudato). Sed haec conamina superata sunt, postquam F. Froehde (*Bezz. Beiträge* XIV pag. 111) vocem composuit cum Lituanorum *svidus* h. e. nitens: quam originationem etiam F. Solmsen probavit (*Untersuchungen zur griechischen Laut- und Verslehre* p. 206 adn. 5). Sit igitur *sidus τὸ λαμπρὸν*, quod nomen eodem modo plures indicet stellas, quo *pecus* complures bestias.

Quodsi iam a nominibus ad opiniones convertimur, materiam aggredimur difficillimam, in qua quae vere certa sint raro tantum proferre licet. Neque enim ex nomine ipso, quo flammae caelestes a Romanis olim appellatae erant, certi quid de prisca religione Romana concludi potest, neque talis veterum memoria est, ut aperte dicatur, quid prisci Latinorum populi senserint. Et si quando occurrunt huius rei testimonia, non semper vera tradunt. V. c. habemus Ovidii distichon Fast. III 111 sq.:

libera currebant non observata per annum
sidera: constabat sed tamen esse deos.

Quod si comparamus cum eis quae capite primo et secundo diximus, statim videbimus quadrare hoc ad caniculam, non quadrare ad vergilias iugulas septemtriones alios. Oriebatur autem talis error, dum non tam veterum Latinorum quam recentiorum Graecorum opiniones curabant. Cuius rei lucidissimum exemplum Plautus in Rudentis prologo est.[2]) Ibi

[1]) Fortasse respicit Riccioli Jacobum Bartsch, qui in *Usu astronomici planisphaerii* pag. 40 similia profert; neque vero dicit derivandam esse vocem ab *συνείδειν*, sed ab *σύν* et *εἶδος*, quod plures stellae in unam imaginem redactae essent.

[2]) V. supra pag. 48 sqq.; F. Marx interpretationes latinae, Ind. lect. Gryphisw. 1892 93; Kaibel Herm. XXIX 84; v. etiam C. Dziatzko *über den Rudensprolog des Plautus*, Mus. Rhen. XXIV p. 580.

enim Arcturus ipse prodit in scenam et postquam se signum splendens stella candida dixit, pergit se e stellarum more observare [1]) hominum male facta et referre ea exscripta ad imperatorem deorum.[2]) Videmus igitur sidus fingi tamquam hominem et viventem et videntem — nisi quod maiore quam humana oculorum acie est praeditus — et cogitantem et, quod sublimiorem cultum redolet, scribentem, neque esset, cur hanc stellarum imaginem a Romanis alienam iudicaremus,[3]) nisi e versu 33 appareret sequentia desumpta esse e Diphilo. Sed cum hoc ita sit, plana est coniectura etiam Arcturi personam a Plauto e Graeco tractam esse. Huic favet quod Arcturus nomen graecum gerit et quod simili modo deus quidam praescius inducitur a Philemone (frgm. 91 Kock):

ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν οὐδὲ ἓν ποιῶν
οὐδ' αὖ ποιήσων, οὐδὲ πεποιηκὼς πάλαι,
οὔτε θεὸς οὔτ' ἄνθρωπος, οὗτός εἰμ' ἐγὼ
Ἀήρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.

Adhibui Plauti exemplum, ut demonstrarem, quam caute nobis agendum sit in secernendis opinionibus vere Romanis. Quod ubi semel cognoveris, fortasse rationem, quam in sequentibus secuturus sum, probabis. Rem enim ita institui, ut certo quodam ordine instituto singulas de stellis opiniones apud

---

[1]) Delevit Marxius v. 5 s.:

noctu sum in caelo clarus atque inter deos
inter mortalis ambulo interdius.

Putat enim hos versus additos esse ab interpolatore quodam, qui non intellexisset observationem de caelo facere stellas. Sed licet hoc concedamus, id addendum est, interpolatorem talia vix addere potuisse, nisi opinio de stellis interdiu in terra vagantibus apud veteres percrebuisset.

[2]) Hanc opinionem latius viguisse demonstratur apocalypsi quadam apocrypha apud Const. Tischendorf pag. 36 sq.: *πολλάκις δὲ καὶ ἡ σελήνη καὶ τὰ ἄστρα προσῆλθον τῷ κυρίῳ λέγοντες· κύριε ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ἡμῖν δέδωκας τὴν ἐξουσίαν τῆς νυκτὸς καὶ οὐκέτι στέγομεν τὰς κλοπὰς καὶ μοιχείας καὶ αἱματοχυσίας τῶν ἀνθρώπων· κέλευσον ἡμῖν καὶ ποιήσωμεν εἰς αὐτοὺς τέρατα.*

[3]) Vulgaris enim est opinio de tabulis in quibus a diis scribuntur hominum facta, v. U. Kopp *Palaeographia critica* III p. 96 sq., F. Marx l. c. p. VI. Stellae apud plurimos populos deorum nuntii sunt, v. R. Andrée *Ethnographische Parallelen und Vergleiche* p. 113.

Romanos scriptores inventas enumerarem et non nisi cautissime de singularum origine quid sentirem adderem.

Ubi primum veteres Romani oculis in caelum sublatis stellas observare coeperunt, praeter splendorem motum quoque earum animadvertere debebant. Utque in terra loco moveri non nisi animalibus concessum erat, et stellis animas datas esse mox sibi persuaserunt. Sed cum rudiores populi animas sine corpore vagantes fingere nesciant, etiam stellarum in corpora incluserunt. Ita pars earum in bestias conversa est. Quomodo e motu borealis sideris concluserint septem in area circumagi triones, supra p. 71 exposuimus. Sed ut proximus est semper homo homini, ita proximum erat stellas pro hominibus habere in caelo ambulantibus, quos in daemonum vel numinum loco mox altitudo caelestis evexit.

Re ipsa factum est, ut hac eaedem opiniones nascerentur et adolescerent cum apud alios populos tum apud Graecos Romanosque. Neque tamen Romanorum anthropomorphismum stellarem purum et integrum habemus, sed, ut modo diximus, similibus Graecorum sententiis infectum et permixtum. Quod vel e subsequentibus apparebit.

Quam parva olim inter homines stellasque differentia extiterit eo demonstratur, quod homines splendidos cum sideribus comparare solent veteres. Cuius rei initium apud Graecos est, quorum *ὁ ποιητὴς* dicit, Iliad. V 5 sq.:

ἀστερ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον, ὅς τε μάλιστα
λαμπρὸν παμφαίνῃσι λελούμενος Ὠκεανοῖο.[1])

Hoc ad poetas Romanos transisse mirum non est, v. Hor. Carm. III 9, 21:

Sidere pulchrior ille[2])

Val. Flacc. V 366 sqq.:

. . astroque comantes
Tyndaridas ipse egregio supereminet ore,
non secus autumno quam cum magis asperat ignes
Sirius et saevo cum nox accenditur auro
luciferas crinita faces.

[1]) Vide etiam Iliad. VI 401, XI 62; Anthol. Palat. VII 669, 670.

[2]) Quem imitatus est Claudianus de nupt. Hon. I (XI, 1): *princeps corusco sidere pulchrior.*

Quin etiam in Romanorum vulgus id percrebuit, quod hominum cognomina Stella vel Aster adamavit. Reiciam lectorem solum ad Arruntium Stellam Statii poetae amicum et ad CIL III 4908, 5835a, V 950.[1])

Stellas hominibus adeo similes corpore humano in vulgaribus opinationibus usas esse per se credibile est. Sed revera talem sententiam extitisse confirmatur eo, quod a Cicerone impugnatur de nat. deor. II 59: *non enim venis et nervis et ossibus continentur, nec iis escis aut potionibus rescuntur, ut aut nimis acris aut nimis concretos umores conligant, nec iis corporibus sunt, ut casus aut ictus extimescant aut mortes metuant.* Licet de stellarum corporibus[2]) humanis, quantum equidem videam, alterum testimonium non habeamus, tamen ad hanc sententiam quadrant loci, qui de stellarum capitum partibus sunt, de oculis atque crinibus. Cogitasse enim videntur veteres a mortalibus solos daemonum astralium oculos nitentes[3]) in stellis conspici, cum reliquum corpus lateret; v. Plin. Nat. hist. II 10: *nec de elementis video dubitari ... ignium summum, inde tot stellarum illos conlucentium oculos.*[4]) Quae superstitio ubi semel confirmata erat, facile rudes animos eo adducebat ut crederent observari hominum facta de caelo a sideribus. Et eius quidem opinionis vestigia apud poetas Romanos Graecorum asseclas habemus. Plauti versus supra pag. 111 tetigimus; Catullus canit VII 7 sq.:

aut quam sidera multa, cum tacet nox
furtivos hominum vident amores.

Similiter Manilius dicit I 276:

omnia quae summo despectant sidera caelo.

[1]) Alia testimonia leguntur collecta in Thesauro linguae latinae s. v. *Aster*.

[2]) De Luciferi corporis quibusdam partibus, ore, pedibus v. supra p. 29.

[3]) Petron. 126: (*feminae*) *oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus.*

[4]) Caput siderum rarius memoratur, interdum tamen luciferi (v. modo adn. 2) et planetarum, quos saepe tamquam capita depingi satis notum est (v. E. Maass *Die Tagesgötter* p. 242). Sed stellarum omnium ora vix laudantur; saepius tantum loquuntur poetae de ore solis, cuius ambitus rotundus praecipuam opinationi dedit ansam: v. Iliad. lat. 158 (PLM III pag. 15) *et nitidum Titan radiis caput extulit undis.* V. praeterea PLM IV pag. 134 n. VIII 7, 9, p. 135 v. 24.

Et Iuvenalis exclamat VIII 149 sq.:

sed luna videt, sed sidera testes
intendunt oculos.[1])

Similis cogitandi ratio subest, ubi radii stellarum crines appellantur. Idque imprimis maiorum siderum radiis usu venit, solem dico[2]) et luciferum.[3]) Sed etiam in universum stellarum comae laudantur, v. Claudian. XV 496 (*et contusa vagos iaculentur sidera crines*), Iuvenc. Evang. IV 151 (*ignicomaeque ruent stellae*), Dracont. carm. profan. X 432 (PLM V pag. 208: *crinibus astra ignitis*). Notum est hanc sententiam causam fuisse appellandi sidera radiorum caudis praedita stellas crinitas et cincinnatas. De quibus infra in § 3 nobis erit fusius disserendum.

Sed redeamus ad opinionem illam stellas corporibus[4]) tamquam homines praeditas esse. Necessario inde sequebatur ali hoc corpus oportere. Quam popularem superstitionem Graecorum philosophi sapientiorem reddiderunt, dum ali stellarum non corpora sed flammas edicerent.[5]) Quos secutus Seneca professus est Nat. quaest. VI 16, 2: *omnes hae stellae . . alimentum ex terra trahunt et inter se partiuntur, nec ullo alio*

---

[1]) Quod praeter lunam etiam de sole dicitur, Apul. Met. II 22, III 7, v. U. Kopp Palaeograph. crit. III 679. Recentiorum plurimi de stellis humanorum factorum testibus egerunt, quorum nomino H. Ritters, de conformationum usu Aeschyleo, Lipsiae 1882 pag. 10; Arnold Hirzel *Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft* 1889 pag. 352; C. C. Hense *Poetische Personification in griechischen Dichtungen* I Halle 1868 pag. 25 sq.; E. B. Tylor l. l. vol. I 344 sqq.; W. Schwartz *Die poetischen Naturanschauungen der Griechen, Römer und Deutschen in ihrer Beziehung zur Mythologie* I Berlin 1864 pag. 145. 152.

[2]) Hic est Graecorum ἥλιος χρυσοκόμας, de quo agit A. Dieterich *Nekyia* pag. 39 adn. 3, A. Hirzel l. s. pag. 349. Unde Silius Italicus locutus est de *crinigero Titane* XIV, 585; v. etiam Sen. Herc. Oet. 727, Claudian. I 3.

[3]) Vide supra pag. 15.

[4]) Cruorem auctore maga de stellis stillasse Ovidius amor. I 8, 11 narrat, poetico more portentum dirum pluvii sanguinei explicaturus. Revera eum stellarum corpori sanguinem attribuisse non putaverim.

[5]) V. E. Zeller *Philosophie der Griechen* III 1 p. 294; Bouché-Leclercq l. l. pag. 75 adn. 1. Romanorum locis in ipsa illa pagina laudatis addam Cicer. de nat. deor. III 37, II 40—46, Tuscul. I 43, Lucan. X 258, Rut. Nam. I 644.

scilicet quam halitu terrarum sustinentur. Hoc illis alimentum, hic pastus est.[1]) Nec tamen cunctos Romanos ita cum sapientibus cogitasse, eodem Ciceronis loco docemur quem iam semel attulimus, de nat. deor. II 59, ubi stellas neque escis neque potionibus[2]) ali asseverat. Quod poetice retinuit Salvianus commemorans (de gubernat. dei I 43, Corp. Script. eccles. lat. VIII 21) *datum per quadraginta annos astris cotidie famulantibus cibum.*

Utque alimentis nutriuntur stellae, ita et invicem ἀπορροίας quasdam reddunt, lumen et radios dico. Quin etiam quem decedentibus stellis mane reperiebant rorem, e sideribus cecidisse putabant veteres.[3]) Sic Vergilius Aen. III 567 appellat astra rorantia, cuius opinionis exempla crebriora fiunt, quo altius in saecula descendimus. Ita legimus in pervigilio Veneris v. 20:

Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus.

Addam Fulgent. Myth. I 11; carmen de ave Phoenice PLM III pag. 258 v. 111; Cyprian. Heptat. Gen. 334; Salvian. de gubern. dei I 43 (Corp. script. eccles. lat. VIII 21).

In memoriam nobis hoc loco revocem mel quoque secundum nonnullorum opinionem destillari a sideribus, qua de re supra pag. 45 egimus Plinio teste, qui addit Nat. hist. XI 30: *sive ille est caeli sudor, sive quaedam siderum saliva, sive purgantis se aeris sucus.*[4])

Praeter alimenta homines lavatione indigent. Etiam hoc stellis attribuerunt, quas Oceano tinctas recreari putabant. Quod tamen magis Graecorum inventum putaverim maiore ex parte mare accolentium quam Latinorum montes collesque habitantium.[5]) De Graecorum locis huc spectantibus egimus

[1]) Accuratius idem cometae alimentum describit ibidem VII 21, 1.

[2]) Nubibus et imbri pascuntur septem triones, v. supra p. 79.

[3]) Imprimis de luna, v. W. H. Roscher *Selene und Verwandtes*, Lipsiae 1890 pag. 49 seqq.; de lucifero rorante vide supra pag. 25.

[4]) V. W. H. Roscher *Nektar und Ambrosia* pag. 13 sqq.; *Selene und Verwandtes* pag. 65 et pag. 49 adn. 199.

[5]) Romani si quid hac de re cogitarunt astra in Ianiculo, id est in Solis regia in summis montibus aedificata requiescere putarunt; ita enim vocem Ianiculum recentiorum complures interpretantur (O. Richter *Topo-*

supra pag. 78 sq.; iam addere iuvat monumentorum testimonium, in quibus saepius finguntur stellae puerorum specie in mare ruentium (F. Welcker *Antike Denkmäler* vol. III tab. 9, Baumeister *Denkmäler* I 640. 711).[1]) Atque haec ipsa puerorum species advectam opinionem esse demonstrat: sexum enim habent Graecorum *τοῦ ἀστέρος*, non Romanorum stellae. Quodsi Romani stellarum imagines sculpturi fuissent illis temporibus, quo Graecorum sententiis nondum erant imbuti, puellas[2]) fortasse facturi fuissent, non pueros. Sed et alteram sententiam huc adnectere liceat. Quae lavacro recreantur, renascuntur; quae modo nata sunt, parva videntur. Itaque stellas humanis oculis adeo exiles visas deminutivis formis appellabant de canicula locuti, de iugulis, vergiliis, suculis, et non de cane, iugis, virgis, suibus, parvulas feras velut caniculam, suculam eas intellegentes vel figuram rerum terrestrium deminutam, velut iugularum et vergiliarum.

Age iam afferamus testimonia nonnulla poetarum Romanorum de stellis lavantibus.[3]) Nomino Senecam (Phaedr. 750 *nuntius noctis modo lotus undis Heperus*), Statium (Achill. I 139 *tepet illabentibus astris Pontus*), Rutilium Namatianum (I 644, PLM V pag. 27 *corusca suis sidera pascit aquis*), Claudianum, qui XXIX 53 Oceanum alloquitur:

tu fessos exacta luce iugales
proluis inque tuo respirant sidera fluctu.

---

graphie der Stadt Rom p. 31 adn. 2; vide etiam Ovid. Fast. I 246 et commentatorum notas). Itaque Romanorum opinionem audimus, cum lucifer oriturus in hortis Solis comas ornans dicatur a Claudiano, v. supra pag. 30. Neglegunt vero poetae, qui hac in re passim Graecos secuti sunt, ad hanc simplicem cogitationem alludere.

[1]) Conferas etiam narrationem illam de stella Christi, quae puerulo similis magis apparebat, apud Münterum *Der Stern der Weisen*, Hauniae 1857 pag. 30.

[2]) Huc quadrat, cum nonnumquam sorores dicantur stellae, v. Anthol. lat. edd. F. Bücheler et Riese I p. 370 *de stellis*:

milia conclusae domo sub una sorores
minima non crescit maior nec aevo senescit.

Feminae sunt Indis, v. A. Hillebrandt *Vedische Mythologie* I 397.

[3]) Praeter Graecos Californii quoque in hanc opinionem inciderunt, v. J. G. Müller *Geschichte der amerik. Urreligion* pag. 53; Tylor l. l. I pag. 343.

Utque recreationem sentiunt, ita reliquis quoque motibus stellarum animae patescunt, quibus in describendis largi sunt Romanorum poetae. Singula enumerare liceat.

Calorem sentiunt stellae ut homines (Stat. Theb. V 459 *exuta gelu tepescunt sidera longis solibus*, Avien. II 1818 *impulsa calore | excutiunt stellas*) itemque frigore vexantur (Stat. Theb. XII 651 *tremefecit sidera bruma*).[1]) Notitiam cognatorum siderum astra habent, ut Luciferum omnes noverint (Stat. Theb. VI 218), et tali notitia interdum in terrorem compelluntur (Sen. Herc. fur. 12 *ferro minax hinc exterret Orion deos*; Herc. Oet. 1573 *ne tuo vultu tremefacta leges | astra conturbent*; Stat. Theb. VII 46 *dirus contristat sidera fulgor*; vide etiam Aetnae carm. v. 50 sq. *et miles metuentia comminus astra | provocat* . . 53: *admotisque terit iam sidera signis*). Quin etiam amorem patiuntur (Claudian. X 75 *ille* (sc. amor) *deos caelumque et sidera cornu | temperat*).[2]) Quodsi in terram despicientes novum aliquid atque inauditum animadvertunt, obstupescunt (Claudian. carm. min. XXVII 60: *pigrosque polus non concitat axes* h. e. septemtriones). Quin etiam ne facinora dira videant, lumina tegunt et humano more faciem abscondunt teste Ovidio Met. X 448 sqq.:

> ad facinus venit illa suum. fugit aurea caelo
> luna, tegunt nigrae latitantia sidera nubes,
> nox caret igne suo. primus tegis, Icare, vultus.

Imprimis autem horrent, si casu aliquo mundus patet et conspiciuntur inferorum secreta (Stat. Theb. VII 816 sq.).

---

[1]) Aliud est, si Martianus Capella II 116 (vide etiam VI 584) de veste (*roseo* vel *astrifero peplo*) stellarum canit. Haec non ob frigus induitur, sed pulcherrimus tapes ab Aurora sideribus sternitur. Stellarum vestes a Romanis nusquam laudantur, saepius vero solis vestis purpurea (velut Ovid. Met. II 23). Germanorum est stellis vestimenta attribuere, v. Hebelii *Der Abendstern*, ubi memorantur *Sterne im Strahlegwand*.

[2]) Iterum lectorem reiciam ad Germanorum carmen adn. 1 memoratum, quo idem affectus stellis tribuitur. Nam his verbis declaratur, quod lucifer solus reliquis astris de caelo fugientibus remaneat: *Er wandelt imme Sternli no, Er cha schier gar nit vonnem lo; Doch meint si Muetter, 's müess nit si Und thuet en wie ne Hüenli i.* Atque tristis matrem fugiens cogitur amatam stellam in caelo relinquere: *Er rüeft si'm Sternli: Bhüet di Gott! Es isch, as wenn er sterbe wott.*

Notissimus vero stellarum motus est,[1]) qui variis modis exprimitur. Quibus dicendi formulis omnibus id commune videtur, quod hodie nobis poetarum flores videntur, olim autem in sermone populi non tralationem quandam sed propriam vim habuerunt. Atque primum quidem stellae eunt. Quod tam saepe legitur, ut unum exemplum attulisse sufficiat. Seneca dicit de sideribus de benef. VI 22: *nunc alternis eunt redeuntque oportunis libramentis . . atque eant in unum omnia . . . euntque ista tua causa.*[2]) Ita cottidie ignes caelestes longum iter perficiunt. Quod considerantes poetae diversas res laudare poterant: aut siderum naturam caelestem, quae numquam defatigatur, aut itineris ambitum, qui vel stellas lassas reddit. Utriusque rationis exempla praesto sunt. Aether dicitur rapere *indefessa volventis sidera mundi* (carm. de ponderibus PLM V pag. 72 v. 5), sed altera ex parte *omnia fessa domat caelestia sidera somnus* (Aegritud. Perdiccae PLM V pag. 117 v. 108). Atque hoc quidem Graecis deberi videtur, qui stellas eundo fessas in Taenari promunturio residere putabant teste Statio (Theb. II 35):

> stat sublimis apex ventosque imbresque serenus
> despicit et tantum fessis insiditur astris.[3])

Ad hunc meatum siderum pertinent ea quoque enuntiata, quae de

---

[1]) Ubi astra dicuntur stantia sive caelo affixa, semper fere tantum erratica non esse significatur. Nam Romanorum est opinio stellas non remanere interdiu in caelo sed solem fugientes de solo caelesti decedere. Hoc satis apparet ex enuntiatis quibus occasus exprimitur. De his tamquam transeundo moneam me fusiorem non fuisse, quoniam plura congessit B. Winand *Vocabulorum quae ad mortem spectant historia*, diss. Marb. 1906 p. 61 sqq. — Neque vero desunt exempla ubi revera et interdiu stellae in caelo stantes dicuntur, inprimis septentriones; cuius opinionis testimonia supra pag. 77 sq. enumerata sunt. Nonnumquam et aliae stellae in caelo remanentes sed solis splendore obrutae dicuntur, quae subito elucentes conspiciuntur. Libet huius opinionis testem Vergilium afferre, qui Aen. IX 20 dicit: *medium video discedere caelum | palantisque polo stellas.* Vide etiam Serv. ad Aen. II 152. Similiter narratur a Germanis eodem semper loco sedere sidera eaque in sellis aureis, v. J. Grimm l. c. pag. 584.

[2]) Ad eandem cogitationem spectant enuntiata velut: *currunt* Ov. Fast. III 111, *cursus agunt* Sen. Herc. fur. 929.

[3]) Vide quid de Ianiculo supra pag. 115 adn. 5 dixerim.

occasu eorum cottidiano usurpantur. Ut vesper dicitur remeare [1]) de caelo, ita omnes stellae cogitantur vel transeuntes [2]) vel cedentes; [3]) atque fugiunt et solem appropinquantem (Stat. Theb. III 685, PLM IV pag. 134 carm. 139, 10 alii passim) et auroram (Ov. Amor. I 13, 28) vel fugantur ab his numinibus (Stat. Theb. II 120, PLM IV carm 139, 16, Octav. 2 alii). Neque reformidat ab hac cogitatione verbum *occidere*, quod maximo fuit in usu inde ab antiquissimis temporibus. Orientes perraro exeuntes dicuntur; interdum a hespero vel luna in caelo ductae praedicantur, v. supra pag. 30 et infra 121.

Quae persuasio de stellis pedibus viam terentibus mox similes sententias genuit. Nam pro maiestate caelesti aequum erat atque sequebatur, ut tamquam mortalium proceres aut curru aut equo uterentur. Notum est hos imprimis soli et lunae tribui (Claudian. XXXVI 403 *quo Phaeton inrorat equos, quo Luna iuvencos*); de Luciferi vehiculo equisque supra pag. 28 egimus. Sed et aliis stellis equi tribuuntur, imprimis Geminis (Mart. VIII 21, 5: *Ledaeo poteras abducere Cyllaron astro*; 28, 8 *quem pius astrifero Cyllarus ore bibit*; Stat. Achill. I 180). Ioculariter autem dixit Ovidius Fast. II 457: *aetherios excipe, Piscis, equos.* [4])

Neque fugit veteres stellarum motum tamquam in orbem revolvi. Quo fiebat, ut astra saltantia quoque vel rectius chorum ducentia depingerent. Hoc praeeuntibus Graecorum [5]) poetis factum est, quorum unum Sophoclem nominasse sufficiet Antig. 1146. Romanorum provoco ad Tibullum, qui canit II 1, 87:

ludite: iam Nox iungit equos currumque sequuntur
matris lascivo sidera fulva choro.

---

[1]) Vide supra pag. 27sq. [2]) Iliad. lat. v. 49, PLM III p. 11.

[3]) PLM IV pag. 135 carm. 139 v. 27.

[4]) Hoc loco nil moror equos Nocti (Stat. Theb. II 59) vel Aurorae (Tibull. I 3, 95; Verg. Aen. VII 26, XII 76; Ovid. Met. III 150) ad Graecorum exemplum attributos.

[5]) Germanicum quoddam carmen afferre liceat a Schwartzio *die poetischen Weltanschauungen* I 273 laudatum:

Gottes Pracht am Himmelsbogen,
ist in Sternen aufgezogen.
Welch ein heilig stiller Chor!

Vide etiam Stat. Achill. I 643 *risit chorus omnis ab alto | astrorum*, Claudian. XXI 84 *tunc exsultasse choreis astra ferunt.*[1])

Hae notiones eundi vehendi equitandi saltandi ad unam omnes tunc tantum intellegimus, si statuimus caelum veteribus pro firmamento fuisse, ita ut tamquam firmis pedibus stare potuerint stellae. Atque haec priscorum Latinorum opinio fuit, ut ex Ennii verbis patet (*in altisono | caeli clipeo superat temo | stellas sublime agitans* fr. sc. v. 215 Vahl.). Ovidius quoque expressis verbis hanc opinionem extitisse testatus est Met. I 72:

neu regio foret ulla suis animantibus orba,
astra tenent caeleste solum formaeque deorum.

Et ut in terra ita in caelesti solo viae sunt, per quas sol luna ceteraque sidera eunt, v. Apul. de mundo cap. 22. De eadem Babyloniorum persuasione conferas v. d. Jensen *Kosmologie der Babylonier* pag. 10. Neque vero altera quaedam opinio, quae multis populis rudioribus communis fuit, apud Romanos ullum vestigium reliquit, caelestis dico oceani, in quo stellae navibus vehuntur.[2]) Saepius autem cum avibus infra caelum per immensum aërem vagantibus comparantur sidera; cuius usus testes sufficiant Manilius II 18:

omniaque immenso volitantia lumina mundo.

Et Seneca Troad. 387:

quo bis sena volant sidera turbine.[3])

Quaeritur iam, num prisci Latini sententiam ullam statuerint de nexu sanguinis inter singulos ignes caelestes intercedente. Quod mihi nullo modo demonstrari posse videtur. Licet alii populi tradant, stellas lunae vel solis filias esse,[4])

[1]) Tylor l. l. I pag. 287 tradit opinionem gentium Australium, qui contendunt saltare Orionis stellas saltationem quandam *Korrobori* appellatam.

[2]) De Graecis v. H. Usener *Sintflutsagen* passim, de Aegyptiis A. Wiedemann *Religion der alten Ägypter* pag. 13, Boll Sphaera pag. 169; nec non defuit hoc Christianis, v. Isidor. de nat. rer. cap. 14; de aliis populis Schwartzium l. c. pag. 10sqq.

[3]) Conferas Luciferum aligerum supra pag. 29.

[4]) Tylor l. l. I 350, Frobenius *die Weltanschauung der Naturvölker* pag. 286, E. Meyer in adnotationibus ad Grimmii l. l. pag. 204, cuius argumenta adaugere mihi liceat nostratis poetae Hebel versibus hisce de lucifero dictis:

Romanorum religionem usque eo progressam non esse constat,[1]) ut de caelestium conubiis cogitaret. Sed aliarum cogitationum incertum Graecarum an Romanarum extant vestigia. Ita stellae gregis[2]) instar sunt, qui ab Hespero vel Lucifero custoditur, qua de re supra iam diximus pag. 30. Si vero fuit, qui Romanos stellas pro pumilionum caterva habuisse ediceret, is erravit.[3])

Attamen revera ex eo quod Luna stellis magnitudine praestabat, veteres sententiam aliquam statuerunt: stellas lunae dominae tamquam satellites aut pedisequos esse. Testes sunt Cornelius Severus (FPR pag. 352, 5 *ignea iam caelo ducebat sidera Phoebe*), Petronius (satur. 100 *luna innumerabilibus comitata sideribus*), Horatius, qui in carmine saeculari versu 35 Dianam invocat:

siderum regina bicornis audi,
Luna, puellas.[4])

En habes opinionem fuisse stellas deorum ministros, sententiam apud Romanos late diffusam. Hanc persuasionem popularibus Varronem attulisse Tertullianus (ad nationes II 3) et Augustinus putant (de civitate dei VII 6, 23); sed vetustior est, ut Plautino Rudentis prologo saepius commemorato docemur: qui graecum exemplum secutus et stellarum acrem visum et ministerium divinum coniunxit ita, ut stellas ad Iovem referre quaecumque vidissent, narraret.[5])

Und wenn der Stern si Mutter sieht
So wird er todesbleich und flieht.

Similiter idem poeta vesperum filium solis matris dicit, quem praecipue amat, v. carmen *der Abendstern* inscriptum.

[1]) E. Aust *Religion der Römer* pag. 20. Si vero posteri stellas sorores (v. pag. 116 adn. 2) laudant, hoc ex peregrinis fontibus haustum diximus.

[2]) Aliis quoque populis stellarum multitudo grex agnorum est: commemorem solum Germanorum versus notissimi eiusque simplicissimi carminis, quo infantes inquieti placantur: *Der Mond der ist das Schäferlein, die Sterne sind die Lämmerlein*; vide etiam de hac Germanorum opinatione E. Meyer l. l. pag. 219 s. 602.

[3]) Schwartzius l. l. pag. 269 falsa Horatii interpretatione inductus (epod. XV 2 *inter minora sidera fulgebat luna*).

[4]) Vide etiam Senecae de ovili v. 3 (PLM IV pag. 56):
astra subit niveis Phoebe subiecta iuvencis.

[5]) Vide supra pag. 111.

Aevo sequiore, cui stellas et deos in caelo habitare firma est religio, omnino arte inter se coniunguntur superi et sidera, ita ut saepius stellae ponantur pro domicilio deorum (Stat. Silv. V 1, 102 *non plura nuntiat excelsis ales Tegeaticus astris*; IV 6, 53 *emissus in astra*; IV 2, 10 *mediis videor discumbere in astris | cum Iove et Iliaca porrectum sumere | dextra immortale merum*).[1])

Ubi dei in aula Iovis versantur, astra divinum pondus sentiunt (sic Catullus LXVI 69 Callimachum[2]) secutus comam Berenices dicentem facit: *me nocte premunt vestigia divum*), si in terram illi descendunt, haec pondus suum requirunt (Petron. 124 v. 264: *sentit terra deos mutataque sidera pondus | quaesivere suum*).

Iovi *satori astrorum* (Stat. Theb. III 218) imprimis imperium in stellas concessum est (Sen. Herc. fur. 459; Apul. met. VI 22; FPR pag. 357, 7; Claudian. XXXVI 66). Unde stellae servire dicuntur (Stat. Silv. III 3, 54 *servit et astrorum velox chorus*; Claudian. XL 35 *illius exspectent famulantia sidera nutum*). Quin etiam dominum suum expavescere didicerunt secundum Statium, qui ut Homeri notissimum locum imitaretur dixit de Iove Theb. VII 3:

> Concussitque caput, motu quo celsa laborant
> sidera.[3])

Bene concinit cum his Christianorum[4]) quoque poesis, v. carmen ad Flavium Felicem de resurrectione mortuorum (corp. script. eccl. lat. III 3 pag. 314) v. 351:

---

[1]) Addam Mart. V 65, 1 (*astra polumque dedit . . . Alcidae*), IX 101, 22 (*astra suis dedit*), XIV 124, 2 (*magno qui dedit astra patri*), Commodian. carm. apol. 100 (Corp. script. eccl. lat. XV *fulmen iactatur ab astris*). — Eodem modo posteri usurpant adiectivum *sidereus* pro *caelestis*, v. Sedul. carm. III 291: *sidereo sono . . aiens*; IV 114: *sidereae manus*; V 432: *sidereasque vias*; Pasch. op. IV 22: *siderum imperium*; V 38: *arcem sidereae dominationis*.

[2]) Alexandrinorum sapientiam Aratus quoque prodit phaen. 359 de Eridano: *θεῶν ὑπὸ ποσσὶν φορεῖται*.

[3]) V. Claudian. XXXVI 66: *dixit et horrendo concussit sidera motu*.

[4]) Qui Christi fidem sequebantur, dicunt praecipue stellas angelos dei; hic omnes nominibus vocat eaeque creatori suo serviunt, v. Filastr. divers. haer., Corp. script. eccles. lat. XXXVIII p. 61, cap. 103; Riccioli l. l. I p. 393.

astra mirata pavent subito virtutis ab alto
hinc iubente deo facili cum voce potentis.

Nec desunt praeter Plauti prologum testimonia, quibus doceamur, quomodo superi stellarum ministerio usi sint. Ut Arcturus in terram descendit Mercurius deorum nuntius; ne stellae descendentis fulgor hominibus noceat, perite cavet, Stat. Theb. I 305:

obnubitque comas et temperat astra galero.

Plerumque vero non stellae iamdudum in caelo nitentes mittuntur, qui ministri deorum iussa in terris faciant, sed novae eaeque vel in die vel noctu subito in firmamento effulgentes hominibus aliquid novi iussu deorum indicant. Sic astrum Dionaeum efflammavit, ut Octaviani futura gloria mortalibus innotesceret (Serv. ad Verg. Eclog. IX 46); imprimis secundum popularem opinionem eo die, quo iuvenis Romam intravit (Plin. Nat. hist. II 98);[1] posteriore tempore ante diem, quo Pertinax imperator mortuus est, stellae clarissimae iuxta solem per diem effulserunt (Vita Pert. cap. XIV)[2] et die prima Alexandri Severi apud Arcam Caesaream stella primae magnitudinis toto die apparuisse fertur (Vita Alex. Sever. cap. XIII), sc. ut magnitudinem nati praediceret.[3] Ut Octaviani ita Honorii consulis gloria illustrabatur stella medio die emicante, Claudian. in IV cons. Hon. 184 sqq. Aut stella hominibus viam demonstrare iussa est; ita Varro narravit, cum Aeneas Troia fugeret, Venerem misisse ei luciferum ducem, donec in agrum Laurentem perveniret (Serv. ad Verg. Aen. II 801).[4]

[1]) Hoc Caesaris astrum alii aliter interpretati sunt quorum plerique cometam hanc stellam dixerunt. Quare de hac luce infra in § 3 dixi. ubi de stellis crinitis agitur.

[2]) Praecipue vero coniunguntur tales narrationes cum cometis: vide iterum § 3. — Similia de stella in die subito visa apud Iudaeos tradebantur: quo die Abraam natus esset, stellam subito apparentem quattuor alias stellas devorasse; v. Apokal. Abrah., *Stud. zur Gesch. der Theologie u. Kirche* I pag. 47.

[3]) Sed haec narratio et ad alteram persuasionem quae a populo de stellis subito elucentibus ferebatur, reici potest, v. infra pag. 134 sq.

[4]) Nolo hoc loco fusior esse de stella duce magorum, qui mundi salvatorem quaerebant. Vide tantummodo Chalcidium ad Platonis Timaeum CXXVI: *est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quae perhibet ortu*

Haec opinio de stellis deorum ministris aucta est etiam inter Romanos, cum Chaldaeorum [1]) irrueret astrologia. Secundum horum decreta stellis datum erat, ut hominibus deorum voluntatem interpretarentur. Quod demonstrem Diodori verbis, qui II 30, 4 dicit: (*οἱ πλανῆται*) *τὰ μέλλοντα γίγνεσθαι δεικνύουσιν ἑρμηνεύοντες τοῖς ἀνθρώποις τὴν τῶν θεῶν ἔννοιαν* et pergit de triginta quibusdam stellis quos vocant *θεοὺς βουλαίους* (6), qui inter se commercium per stellam nuntium habent (*πέμπεσθαι . . . καθάπερ ἄγγελον ἕνα τῶν ἀστέρων*). Eae sententiae in dies magis valuerunt, ubi Mithrae et Chaldaeorum secreta in volgus exierunt (F. Cumont Mithra I pag. 309),[2]) at Christianis stellae *ἄγγελοι* sunt carminibus hymnicis deum adorantes eique servientes (F. Piper l. c. pag. 205, Riccioli l. l. pag. 293).

Sed non solum deis, verum etiam magis sidera oboediunt.[3]) Hoc mirum non est, nam arte sua magus numinis locum occupat secretamque quandam accipit potestatem, cui omnia subiecta sunt et parentia. Et sidera quoque in maleficorum potestate esse a Graecis tractum est: nam Thessalae fere semper mulieres sunt quae cantu suo lunam et sidera ad terram detrahunt. Hoc fit, ut astra ipsis inserviant, sed quem ad modum ministrent, nusquam narratur: plerique poetarum contenti sunt, cum sidera paruisse Medeae carminibus dixerunt. Qua de re te mittam ad H. W. Roscheri librum saepius laudatum *Über Selene und Verwandtes* pag. 85 sqq., qui Romanorum testimonia enumerat et recenset pag. 88 adn. 346. Pauca repetivisse sufficiet. Primum ut audiant [4]) precibus adeuntur sidera, Ov. Met. VII 192:

stellae cuiusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum dei venerabilis ad humanae conservationis rerumque mortalium gratiam.

[1]) Iudaeis caelum stellatum scripturam summi dei exhibebat, Ph. Harsdörffer l. l. pag. 278 sq.; Babylonii similia cogitabant, Jensen *Kosmologie der Babylonier* pag. 45.

[2]) De poetarum locis huc spectantibus plura afferre supersedi, v. Manilium passim, Prop. III 23, 4; Ovid. Trist. V 10, 45, Ib. 216; Hor. epist. II 2, 187; Anthol. lat. ed. Bücheler-Riese I pag. 274 n. 345 v. 2.

[3]) Medii aevi qui fuerunt homines eidem superstitioni dediti erant. Librorum huc spectantium significantissimum nomino Arbatel *de magia veterum* Frankf. 1686.

[4]) Stellas audire putabant ii quoque, qui per astra iurabant. Exemplum unum attulisse satis sit, Mart. IX 22, 15 *superos ac sidera testor.*

nox, ait, arcanis fidissima, quaeque diurnis
aurea cum luna succeditis ignibus astra.

Splendore oscitante stellae se precibus favere indicant, ibidem v. 217:

et dabitis: neque enim micuerunt sidera frustra.[1])

His Ovidii locis in siderum potestate est velint orantem exaudire necne; aliis vero tamquam ministri obsequi et caelo descendere coguntur. Dicit de saga Tibullus I 2, 43:

hanc ego de caelo ducentem sidera vidi.

Et idem τόπος recurrit apud Horatium epod. V 45:

quae sidera excantata voce Thessala
lunamque caelo deripit.

XVII 4:

per atque libros carminum valentium
refixa caelo devocare sidera.

Anus Ovidiana amor. I 8, 10 sanguinem stellis rorantem facit:

sanguine, si qua fides, stillantia sidera vidi
purpureus Lunae sanguine vultus erat.

Sed de hoc loco iam supra pag. 114 adnotatione 3 dictum est.

Ex iis quae adhuc attulimus concluditur plerosque Romanorum sidera pro vivis habuisse et specie et animis hominum simillimis, attamen multo validioribus et propioribus deorum.[2]) Sed et hoc cum hominibus commune habent, quod non utique immortales sunt. Restat igitur ut quaeramus quod tempus vivendi Romani eis attribuerint et quemnam stellarum exitum excogitaverint. Hoc quaerentibus iterum duae opiniones nobis occurrunt. Nam discimus stellas nocte peracta aut morientes aut occidentes i. e. ad refugium suum euntes ibique usque ad ortum remanentes. Utriusque persuasionis permulta extant exempla. Ad mortem cottidianam siderum pertinet, cum nominantur morientes, diem supremum obeuntes, mortem vel morti occumbentes (v. B. Winand, l. l. pag. 65), vel a die haustae (Stat. Theb. VII 47). Quamquam permultis locis, quibus haec a Romanis proferuntur, locutionem mere tropicam

[1]) Dracont. carm. profan. X 432 (PLM V pag. 207): *sed crinibus astra | ignitis responsa dabant.*

[2]) Conferas Graecorum στοιχεῖα vel ζῴδια, Diels Elementum pag. 44sqq.; E. Maass *Tagesgötter* pag. 125.

esse intellegimus, tamen cognoscimus ex his enuntiatis rudissimam illam opinionem cottidie novum solem novam lunam novas stellas exoriri et evanescere, cui cogitationi permulti feri atque rudes populi favent.[1]) Atque Romanos tale quid olim revera sensisse fortasse e loquendi usu *stellae oriuntur* (h. e. gignuntur) concludere possis. Iuvabatur postea haec simplex opinatio similibus Graecorum doctrinis, quas inprimis Lucretius secutus est docens de nat. rer. V 301 sqq:

> sic igitur solem lunam stellasque putandum est
> ex alio atque alio lucem iactare subortu
> et primum quicquid flammarum perdere semper;
> inviolabilia haec ne credas forte vigere.

Alii vero contendunt non in dies perire omnia caeli lumina novaque effulgere, sed *aeterna astra* (Sen. Herc. fur. 928) affirmant quorum interitum ad diem quem dicunt supremum referunt quo omnia de caelo casura essent. Atque haec Christianorum doctrina satis nota orta est ex sacrae scripturae verbis, quae leguntur Ev. Matth. 24, 29: *Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ καὶ αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται.* Quae ab omnibus fere scriptoribus Christianis aeque recipiuntur.[2])

Neque alterius sententiae desunt testimonia, qua stellae die premente de caelo decedunt atque in refugium suum properant, v. quae supra de hespero pag. 29 diximus. Atque eis hominibus, quibus haec fides est, stellae manent semper ut sunt, eadem magnitudine atque pulchritudine praeditae, *minima non crescit, maior nec aevo senescit* (anthol. lat. I pag. 370 v. 2). Hunc in sensum dicuntur *aeterni ignes* (Verg. Aen. II 155). At praeter Oceanum[3]) et terram ipsam, quam interdiu homi-

[1]) V. Frobenius *Weltanschauung der Naturvölker* pag. 284; supra pag. 25.

[2]) Augustinus contendit vel Sibyllam hoc astrorum fatum praedixisse, cuius carmini recte exposito hunc quoque versum tribuit (de civ. dei XVIII 23):

> eripitur solis iubar et chorus interit astris.

[3]) Natant in eo interdiu fluctibusque recreantur, vespere ab eius undis surgunt, v. Avien. II 589.

num more vestigiis premunt,[1]) nullus locus memoratur quo se recipiant neque describitur, qua ratione eo perveniant, unde die fugato proveniant. Hic priscorum Latinorum doctrinis testimonia omnino deficiunt. Eorum, qui de hac re aliquid edixerunt, Persae affirmant omnem terram cinctam esse muro quodam montium; stellas labentes interdiu sub his montibus ad eos locos migrare, unde vespere oriantur,[2]) v. Jensen *Kosmologie der Babylonier* pag. 210.

Quo modo haec numina noctu inter se versentur, paucis illustrare conemur. Populare illud, quod Aristophanes Pacis v. 825 sqq. illudit, stellarum aliam divitem aliam pauperem esse, pauperesque divites adire, ut cum eis epulentur, non receptum est a Romanis; sed nosse unamquamque alteram dicit Statius VI 218. Non mirabimur, quod hoc commercium per silentium fit, v. Anthol. lat. I pag. 370 v. 3:

> et cum nulla parem conetur alloqui verbis
> suos moderato servant in ordine cursus.[3])

Vidimus in excolendis opinionibus, quas adhuc de stellarum numinibus a Romanis latas statuimus, Graecorum sententias plurimum valuisse. Hoc idem dicere debemus, cum ad eos viros accesserimus, qui inter Romanos sidera pro ipsis diis acceperunt. Hi imprimis philosophi sunt, qui in Platonis Aristotelis Stoicorum[4]) sententias iuraverunt. Quorum affero

---

[1]) V. supra pag. 111 adn. 1.

[2]) Addam alteram rudem atque agrestem narrationem de diurno astrorum domicilio: dicuntur enim sidera non de caelo descendentia sed in caelum ipsum migrantia, ubi tecta eorum aedificata sunt; quae relinquunt vespero vocante, ut eisdem muneribus fungantur quibus homines in terris, v. Ratzelium l. l. II pag. 88.

[3]) Graecum inventum est, si apud Catullum coma Berenices dicit LXVI 72: *nec si me infestis discerpent sidera dictis.* De stella loquente v. H. Usener *Religionsgeschichtl. Untersuchungen* I pag. 36; Ratzel *Völkerkunde* I pag. 76. — Christiani persaepe stellas loquentes fingunt atque narrant eas deum laudibus praedicare; legis exemplo composita a F. Piper l. l. pag. 205.

[4]) V. E. Zeller III 1 pag. 190, 310. Hac quoque in re philosophi conspirant cum opinione Graecorum populari. Stellae Aeschylo reges validi sunt (Agam. 4 sq.). Sed non solum Graecorum philosophis et poetis stellae dii erant verum etiam populo: hoc elucet ex Aeginetum anathemate, quod post victoriam

Ciceronem, qui fusius Stoicorum sententiam profert de deor. nat. II 43: *sensum autem astrorum atque intellegentiam maxume declarat ordo eorum atque constantia . . . in quo nihil est temerarium, nihil varium, nihil fortuitum . . . sequitur ergo, ut ipsa sua sponte, suo sensu ac divinitate moveantur.* Ex hoc ordine atque motu voluntario nec non alimento et eo quod ex purissima aetheris parte gignuntur (39) atque hunc aetherium locum obtinent (42), eo perducitur Cicero, ut addat § 44: *quae qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget.*

Etiam Seneca, qui ipse Stoicus erat, in scriptis philosophicis divinum astrorum sensum passim laudat (v. c. de benef. IV 23, nat. quaest. II 32, 6). Neque carminibus suis hanc opinionem inferre dubitavit, quibus omnibus astra dii sunt ignorantes laborem operosum et molestum (Thyest. 843 *ibit in unum congesta sinum turba deorum*; Herc. fur. 12 *ferro minax hinc terret Orion deos*). At non illi soli hoc concessum erat: aliis quoque vatibus sidera dii erant. Ut Aetnae carminis auctor item philosophos aemulatus dicit v. 32 sqq.:

> non est tam sordida divis
> cura neque extremas ius est dimittere in artes
> sidera; subducto regnant sublimia caelo
> illa neque artificum curant tractare laborem.

Accedebat quod variis illis catasterismis quibus in caelum heroes et heroinae, Orion et Callisto evehebantur, poetis pro eodem cederet dicere *inter deos referre* et *inter sidera referre* (v. c. PLM V pag. 390, 7 sq.).

Denique sine ulla difficultate pro divis sidera possunt poni, cuius rei duo pro pluribus exempla attulisse sufficiet. Apud Statium Achill. I 252 Thetis Achillem alloquitur:

> si mihi, care puer, thalamos sors aequa tulisset
> quos dabat, aethereis ego te complexa tenerem
> sidus grande plagis.

---

ad Salamina reportatam Delphos miserunt, v. Herodot. VIII 122, Cic. de divin. I 75. Similia credebant Poeni (Robertson Smith *Religion der Semiten* pag. 96), Iudaei (Gunkel *Schöpfung und Chaos* pag. 9), Germani (Tac. Annal. XIII 55).

Et Nemesianus dicit III 21:

nam cum post sidera caeli
sola Iovem Semele vidit Iovis ora professum.

Sed haec stellarum ἀποθέωσις philosophis tantum et poetis concessa erat et in religionem omnibus Romanis acceptam numquam abiit. Si superstitionum exterarum asseclas [1]) non numeraverimus, dicere possumus nullum extare testimonium, quo sidera in universum a Romanis culta esse demonstretur.[2])

Diximus adhuc de veterum cogitatione stellari, quatenus astra pro numinibus peculiaribus et discretis accipiebantur. Sed altera quaedam sententia multis rudioribus populis communis iuxta existit. Est hominis omnia quae sunt in mundo nexu aliquo excogitato ad vitam humanam referre. Et stellas sibi devinxit, postquam quaerere instituit, ubinam animae hominum post mortem commorarentur. Vivum corpus anima animatum calet, anima efflata friget. Est igitur anima calidum aliquid,[3]) h. e. ignis vel flamma, et per extremum spiritum aeri redditur, fit igitur ignis aerius. Unde sequitur ignes in aere splendentes animas esse mortuorum. Hae atque tales opiniones sunt inter primitivas nationes late pervulgatae.[4]) Itaque et Romani eas ipsi concipere atque excolere poterant. Sed quatenus id fecerint, hodie incertum est. Quaecumque huius religionis apud Latinos vestigia tenemus, Graecam sapiunt originem.

In afferendis Graecorum testimoniis parco esse mihi liceat.[5])

---

[1]) V. supra pag. 124.

[2]) Similiter Philo Iudaeus astra pro numinibus divinis habuit, sed adoratione dignatus non est (de opif. mundi § 27. 73). Christianorum opiniones stellarum divinitatem aut negantium aut affirmantium congessit F. Piper l. l. pag. 202 sqq.

[3]) Vide A. Dieterich Nekyia pag. 24.

[4]) V. Ratzelium l. l. I pag. 76, II pag. 88. Indorum sententiae enarrantur ab Hillebrandtio *Vedische Mythologie* I pag. 397, Oldenbergio *Vedareligion* pag. 564. Permulti praeterea sunt populi qui eadem opinentur, quos enumeravit Drexler *Wochenschr. für klass. Phil.* 1894 p. 733. Non animas sed oculos hominum mortuorum eas putaverant Germani, v. E. Meyer in adn. ad Grimmium l. l. pag. 455. Oculum principis in stellam transformari legimus apud R. Andree l. l. pag. 112 traditum.

[5]) Iam hoc loco moneam in testimoniis quae afferuntur non omnibus diligenter discerni inter stellas quae sunt mortuorum animae et stellas quae habitantur a mortuis.

Vetus illa popularis opinio de aeria animarum corporis vinculis solutarum vita tradit Pythagorae quod fertur carm. aur. 70:

ἦν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
ἔσσεαι ἀθανατός, θεός ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Haec adaucta est eo, quod hi dei stellae appellabantur.[1]) Multa verba facit Aristophanes in Pace comoedia inde a v. 820, ubi Trygaeus e caelo redux narrat quae inter astra viderit: eas esse animas mortalium, quibus tum accessisset tamquam nova stella Ion poeta tragicus, ab universis astris Luciferi nomine salutatus. Et revera fuisse inter Athenienses, qui tali καταστερισμῷ fidem haberent, e nonnullis titulis sepulcralibus elucet, quorum duos tresve afferam. Unus editus est *Bulletin de correspond. hellén.* VIII 1884 pag. 448 no 12:

μήτηρ μή με δάκρυε. τίς ἡ χάρις; ἀλλὰ σεβάζου.
ἀστὴρ γὰρ γενόμην θεοῖς ἀκρεσπέριος.

Et *Arch. epigr. Mitt. aus Oesterreich* XI 1887 pag. 189:

ψυχὰ δέ μευ πρὸς ἄστρα καὶ θεοὺς ἔβη.

Denique reminiscamur epigrammatis illius Platonici ἕσπερος ἐν φθιμένοις, de quo dictum est supra pag. 26.[2]) Et eandem opinionem spectare videtur, quod mortuorum sepulcris stellae interdum insculpuntur, v. Antiphanis stelam (Conze *Att. Grabreliefs* I tab. XIII).

Quibus omnibus respondent Romanorum imitationes. Epigrammatum memorem PLM III pag. 271 v. 5:

mens videt astra, quies tumuli complectitur artus.

Et stellas in Romanorum sepulcris conspici saepius a Fr. Bücheler in epigrammatum collectione (v. pag. 723 ep. 1526 adnot., pag. 114 ep. 241 adn.) commemoratur. Rarius vero poetae carminibus hanc peregrinorum doctrinam inserunt; adamat solus Manilius eam defendere IV 885:

genitique accedimus astris,
an dubium est, habitare deum sub pectore nostro
in caelumque redire animas, caeloque venire?

Et de hominis animo cuncta gubernante virtutibusque, quibus praeter cetera animalia floret, loquens addit versu 910:

[1]) Pythagoram ipsum et Platonem in stellam mutatos esse tradit Mart. Cap. II 125.

[2]) V. Epigramm. graec. ex lapidibus conlecta Nr. 650 v. 11 sq.

cognatumque sequens corpus se quaerit in astris.

Incertum est, an ex Graeca an e Romana opinione manaverint, quae de Hadriano Antinoi obitum deflente narrat Dio Cassius LXIX 11: *καὶ τέλος ἀστέρα τινὰ αὐτός τε ὁρῶν ὡς τοῦ Ἀντινόου ὄντα ἔλεγε καὶ τῶν συνόντων αὐτῷ μυθολογούντων ἡδέως ἤκουσεν, ἔκ τε τῆς ψυχῆς τοῦ Ἀντινόου ὄντως τὸν ἀστέρα γεγενῆσθαι καὶ τότε πρῶτον ἀναπεφηνέναι.* Deinde Antinoum inter deos relatum esse ab imperatore satis constat.[1])

Sed hac ipsa Antinoi consecratione ad certam quandam opinionem cognoscendam deducimur. Neque enim omnibus mortalibus evenit, ut post obitum astrificarentur, sed paucis quibusdam et electis. Atque hoc quoque a Graecis tralatum est. Immortalitas enim iam ab Homero regibus tantum conceditur, deorum filiis et dilectis.[2]) Hoc a posterioribus retentum et auctum est, quorum Plato caelum sapientium[3]) civitatis rectorum esse edixit, aut ut verbis utar Ciceronis Platonici de rep. VI 13: *omnibus qui patriam conservaverint adiuverint auxerint certum esse in caelo ac definitum locum, ubi beati aevo sempiterno fruantur.*[4]) Atque Plato rem persequens eo progreditur ut contendat his ipsis animum datum esse ex sideribus i. e. ut Macrobius adnotat animum eorum eundem esse qui siderum, v. Somn. Scip. I cap. XIII et XIX. Neque reformidaverunt poetae Augustei ab eadem cogitatione: immo adamaverunt eam poematibus inserere. Sic dicit Manilius I 798 sqq. Caesarem et Augustum respiciens:

Venerisque ab origine proles

[1]) Testimonia congesta invenies s. v. Antinous apud Paulium Wissowam.

[2]) V. E. Rohde Psyche initio.

[3]) Uberrime de hac Graecorum doctrina disputat E. Norden in commentario ad Verg. Aen. librum VI pag. 18. Huic Platonis disciplinae respondent exterarum religionum *οἱ μύσται.* Mithrae discipulus dum immortalis fit stellas invocat: *ἐγώ εἰμι σύμπλανος ὑμῖν ἀστὴρ καὶ ἐκ τοῦ βάθους ἀναλάμπων*, v. A. Dieterich *Eine Mithrasliturgie* pag. 65. Ibidem iam veteres Graeci mystarum animas collocaverant, v. R. Heinze Xenokrates pag. 123, Weicker *Seelenvogel* pag. 57.

[4]) Ipsa autem sidera eodem sensu virtutis dona h. e. virorum eminentium animas post mortem ob virtutem mutatas dixit Statius Theb. X 637:

dant clara meanti
astra locum, quosque ipsa virtus affixerat ignes.

De Herculis sede inter stellas virtute parta vide infra pag. 137.

Iulia descendit caelo caelumque replevit,
quod regit Augustus socio per signa Tonante.

Quod cum ita sit, non mirabimur raro nobis hominem de plebe occurrere, qui ad astra evolet, sed solos fere imperatores *ὅτε ἀποθεοῦνται.*[1]) Quod incipit a Iulio Caesare, de quo in paragrapho tertia, ubi de cometis agitur, fusius erit disserendum. Octavianus quoque stellam suam occupavit. Sic eum celebrat Ovidius[2]) epist. ex Ponto IV 11, 129 sq.:

tu nostras audis inter convexa locatus
sidera, sollicitas quas damus ore preces.

Accuratius dicit Germanicus in Arateis 558 de Capricorno Octaviani sidere:

hic, Auguste, tuum genitali corpore numen
attonitas inter gentes patriamque paventem
in caelum tulit et maternis reddidit astris.

Materna sunt astra, quia et Venus, gentis Iuliae avia, stellam suam possidet. Reddere dicitur Capricornus, non dare, quia quondam e caelo descenderat Augustus; dicit enim Cicero l. c.: (*civitatum*) *rectores vel conservatores hinc* (*e caelo*) *profecti huc revertuntur.*[3]) Denique Augusteum sidus Valerius Maximus duobus locis praedicat, dum Tiberii fidem *paterno avitoque sideri* parem dicit (I praef.) et II 10 affirmat *caeli clarissima pars divi fulserunt Caesares.* Ad eandem divinitatem recurrit Octaviae poeta v. 476: *sic* (sc. *virtute sua*) *ille patriae primus Augustus parens* | *complexus astra est.* Neque vero Augustus mortuus solus sidus dicitur. Vivum Augustum spectat Manilius I 384 sqq.:

uno vincuntur in astro
Augusto, sidus nostro quod contigit orbi

[1]) Adiutam esse hanc opinionem altera illa, quae astra putabat numina esse hominibus superiora vix est, quod moneam.

[2]) Poetarum qui Augustea aetate fuerunt blandimenta praeter Platonis doctrinas adiuta sunt poematibus Alexandrinorum, qui reges deos passim nominant, v. c. Callimachi hymn. I 79: *ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες ἐπεὶ Διὸς οὐδὲν ἀνάκτων* | *θειότερον.* Inde *τόπος* quasi fit, ut Caesares appellentur *dis geniti deosque genituri*, v. exempla collata a F. Cumont Mithras pag. 251 adn. 5.

[3]) Simili modo Claudianus carm. min. app. XX 3 sqq. conservatorem mundi de astris delabentem facit, ut inter homines vitam degat.

Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor.[1])

Qui Augustum sequebantur Caesares rarius ita laudantur. Caligulam a populo *sidus* appellatum esse, cum funus Tiberii prosequeretur, tradit Suetonius Cal. XIII. Neroni deinde talia blandimenta offert Lucanus Phars. I 45 sqq.:

te cum statione peracta
astra petes serus, praelati regia caeli
excipiet gaudente polo,

et in sequentibus imperatori optio datur, ubinam stellarum collocari velit.

Similiter Vespasianum alloquitur Valerius Flaccus I 15 sqq., cum stellam eum fore vaticinatur, ad cuius splendorem nautae sint cursum suum directuri:

cum iam, genitor, lucebis ab omni
parte poli.

Praecipue Domitiano talia saepius imprimis a Martiale et Statio[2]) offeruntur, qualia afferre taedet. Quam late tum opinio viguerit imperatores e caelo degressos ad astra esse redituros cognosces e titulo CIL VI 1080 (*deo Imp. Caes. M. Aurel[io . . . . o]ptimo Antonino Pio sideribu[s demisso . . t]onitratori Aug.*) et e libro E. Beurlier *Essai sur le culte rendu aux empereurs Romains* Paris 1890 pag. 67. Haec opinio minuitur secundo saeculo, quo imperatorum animae ab aquila in caelum portari credebantur (Wissowa apud Paulium IV 902). At postea Claudianus ad eam revertitur, dum Theodosii mortui per astra volatum fusius describit carm. VII inde a versu 162. Per planetarum orbes ad summum caelum evolat, cuius portas borealem Bootes, australem Orion reserant exspectantes v. 173:

---

[1]) V. A. Kraemer De Manilii qui fertur astronomicis, diss. Marb. 1890 pag. 32 sqq. pag. 45, qui in titulo quodam Graeco Augustum *ἄστρον ἀπάσας Ἑλλάδος* dici monet. Augustum et non Tiberium a Manilio appellari elucet ex eiusdem v. d. disputatione *Ort und Zeit der Abfassung der Astron. des Manilius*, *Progr. des Wöhler-Realgymn. Frankfurt a. M.* 1904 pag. 15 sqq.

[2]) Qui eo progreditur ut omnes Domitiani cognatos in stellas mutatos dicat, Silv. I 97:

ibit in amplexus natus, fraterque, paterque
et soror: una locum cervix dabit omnibus astris.

Simillima dicit Silius Italicus III 628 seqq.

quas portas velit ipse sequi, quibus esse sodalis
dignetur stellis aut qua regione morari.
Fit deinde stella imperatoris anima et fata stellaria patitur:
te tuus Oceanus natali gurgite lassum
excipit et notis Hispania proluit undis.[1])

Sed extabat praeter hanc alia superstitio, quae inter Romanos popularis fuisse videtur. Stellis enim a diis immortalibus datum esse, ut futura hominibus praenuntiarent, pag. 123 vidimus. Quod si sideris alicuius subita apparitione indicabatur hominis alicuius eximii natus, casu vero hominis occasus, facile rudiores animi adducebantur, ut omnino arcanum quendam nexum inter stellae lumen et hominis vitam intercedere statuerent, nexum plane similem eius, quem inter Meleagri vitam et truncum fatalem struxerant prisci Graeci. Quam cogitationem cum ad extremum persecuti essent, crediderunt, cum nasceretur homo quilibet, exoriri in caelo novam stellam, quae luceret, dum viveret ille, quae vero extingueretur, cum illi esset moriendum. Cuius superstitionis quam impugnat disertissimus testis est Plinius Nat. hist. II 28 sq.: *sidera quae adfixa diximus mundo, non illa, ut existimat vulgus, singulis attributa nobis et clara divitibus, minora pauperibus, obscura*

[1]) Describitur deinde ortus et cursus nocturnus novi sideris. Similia apud Claudianum redeunt carm. VIII 184 sqq., quo loco stella *hospes alieni temporis* memoratur atque de vi et natura audacis sideris disputans poeta in dubium vocat: *sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit | divi sidus avi.* — Eadem sententia hic illic apparuit per omnia saecula usque ad hoc tempus. Martyrum transformationes neglegam ne longus sim. Unum exemplum huius ipsius aetatis afferre libet, quo appareat omnibus temporibus hanc ex simplicibus animis enasci cogitationem. Legitur in actis diurnis Gissensibus 30. VII 1903 (Nr. 176, fol. I) haec narratio de ascensione et transformatione animae Papae Leonis XIII: *Wer dieser Tage durch die Straßen Lissabons wanderte, der konnte das wunderbarste aller Schauspiele sehen und anbeten . . die „Himmelfahrt der Seele Papst Leos XIII." . . . Fromme Leute knieten dort und beteten und starrten unverwandt zum Himmel hinauf. Und wirklich, dort am westlichen Horizont in der Nähe der Sonne konnte man trotz des Tageslichtes einen blinkenden Stern wahrnehmen. Eine alte Frau behauptete, daß es die Seele des toten Papstes sei und das Volk glaubte ihr und sank auf die Knie. Vergeblich erklärten die Zeitungen später, daß jener Stern . . der Abendstern Venus gewesen sei . . . das Volk glaubte den Zeitungen nicht und schwört aufs Wunder.*

defectis ac pro sorte cuiusque lucentia adnumerata mortalibus. Nec cum suo quaeque homine orta moriuntur nec aliquem extingui decidua significant.[1]) Ortae sunt ex hac opinatione narrationes illae subito visa esse lucida lumina, ubi magnus homo nascebatur: Alexander Macedo (Plut. Alex. XII), Mithradates, Caesar,[2]) Alexander Severus (Vita Alex. Sever. XIII). Diutius hanc floruisse superstitionem eo demonstratur, quod refutatur ab Eusebio Alexandrino (*περὶ ἀστρονόμων* I—IV pag. 18 Thilo). Et medio aevo audimus Radolphum sacerdotem saeculi undecimi declamantem: *Cavete fratres ab eis, qui mentiuntur, quod quando quisque nascitur, stella sua secum nascitur, qua fatum eius constituitur.*[3]) Eodem fortasse sensu, quo hic utitur voculis *stella sua*, iam antiquis temporibus dixit qui composuit carm. lat. epigr. 1536 Buecheleri:

properavit aetas. voluit hoc astrum meum.

Sed iam antiquis temporibus etiam eo pervenerunt homines, ut cognoscerent stellas animis humanis aut divinis minime esse praeditas, immo corpora ignea esse caelo adfixa. Haec apud complures rudes populos vulgata est opinatio,[4]) qui plerumque putant lumina in caelo cottidie nova et accendi et extingui.[5]) Quae sententia astra corpora ignea esse postea a scientia comprobata est atque una cum Graecorum philosophia[6]) Romam pervenit. Itaque astra sunt corpora flammea (Cic. de nat. deor. II 118) vel a sole illuminata (Isidor. orig. III 61), formae rotundae (Cic. de nat. deor. II 117), aethereis adfixa cavernis (Lucr. IV 391),[7]) vel caelo adhaerentia (Plin. Nat. hist. II 106),

[1]) Simillima Graecos pro veris habuisse demonstratur Artemidori verbis onirocrit. II 36: *οὔτε δὲ καταπίπτοντες εἰς γῆν οἱ ἀστέρες εἰσὶν ἀγαθοί· πολλῶν γὰρ ὄλεθρον μαντεύονται, καὶ ἀξιολόγων μὲν ἀνδρῶν οἱ μεγάλοι, λιτῶν δὲ καὶ ἀσήμων οἱ λεπτοὶ καὶ ἀμαυροί.* Et V 23: *ὁ μὲν οὖν ἀστὴρ ἐσήμαινε τὸν ἀποθανούμενον.*

[2]) Soltau *Die Geburtsgeschichte Christi* pag. 20.

[3]) J. Grimm l. l. II pag. 717. Idem pag. 602 Lituanorum similem fabulam affert. Germanorum de luce vitali narrationem huc spectantem recensuit Gust. Meyer *Essays und Studien* Berolini 1885 pag. 282.

[4]) Ratzel *Völkerkunde* I pag. 76, J. Grimm l. l. pag. 602.

[5]) Vide supra pag. 125. [6]) Diog. Laert. VII 145.

[7]) Praeterea afferam Varronis sat. men. frgm. 269, 5 *leves cavernae aureae*; Cic. Tusc. I 25, V 69, Rep. I 22, de nat. deor. II 54, II 103, Acad.

quae interdiu remanentia (Lucr. V 623) et caeli rotatione circumvoluta solis radiis obscurantur (Plin. Nat. hist. II 58; Macrob. Sat. I 23; Serv. ad Verg. Aen. II 152). De origine horum corporum ambigunt sapientes: aut a deo sunt creata (FPR pag. 349), aut aethere gignuntur (Lucr. I 231; Cic. nat. deor. II 92) aut e vaporibus terrenis et marinis consistunt (Cic. de nat. deor. II 118; Serv. Aen. I 608). E flammea natura dicuntur persaepe ignes, flammae, lumina, luces. Elucet haec opinio ex permultis epithetis, quorum cum sexcenta sint haec afferre satis sit. Dicuntur: *fervidi ignes* (Varr. sat. men. frgm. 269, 2); *micantes stellae* (Lucr. V 1205); *tota calida et perlucida sidera* (Cic. de nat. deor. II 39); *aurea astra* (Ovid. Met. VII 192); *ignea sidera* (Stat. Theb. I 499); *corusca sidera* (Rut. Nam. I 645, PLM V pag. 27); *divinae et immortales vivacitates ignium* (Apul. de mundo cap. 2 ed. Hildebrand), *micantes globi et assidue fulgentes* (Cyprian. de spectac., Corp. script. eccl. lat. III 3 pag. 11, 13).

Sed si stellae corpora erant animis orbata, nova oriebatur quaestio, quomodo moverentur. Cui veteres respondere solebant aut a deo supremo aut per rectores a deo singulis astris constitutos (Manil. II 434). Et hoc ulterius responsum vel Christianorum nonnullis acceptum fuit, quorum dicit Filastrius l. c. cap. 133 sidera caeli ornamenta a deo constituta esse ita, *ut e quibus locis exire iubentur cotidie, ad ea loca revertantur iterum praesidente angelo et compellente, neque possint cursum debitum praeterire nullo modo.* Alii velut Theodorus quidam episcopus de his angelorum muneribus fusius disseruerunt contendentes vel ab eis trahi vel a tergo premi vel umeris ferri stellas, v. Piper l. l. pag. 208.[1]) Contra quam opinionem postea

II 123; Ovid. Met. II 205; Sen. Nat. quaest. I 12, 2; Plin. Nat. hist. XVIII 208 (*stata sidera cacloque adfixa*); Isidor. orig. III 70, 3, Filastr. div. haer. 133 (Corp. script. eccles. lat. XXXVIII pag. 102). Cumque hae adfixae sint, stellae cadentes sunt refixae: Verg. Aen. V 526, Hor. epod. XVII 5.

[1]) Medii aevi qui fuerunt homines imprimis huic doctrinae dediti erant. Hoc elucet ex versibus hisce:

seit ein iglich Stern hat
einen Engel, d'in an die stat
heiset, do er hin sol gen.

Hos affert F. Piper l. l. pag. 209.

Ioannes Philoponus disputavit, de opif. mundi I 12 ridiculam esse dicens opinionem *ὅτι τῶν ἀστέρων ἕκασιον ἄγγελοι κινοῦσιν.*[1])

Sed redeamus ad initia opinionis modo tractatae stellas corpora ignea esse non animata, et quaeramus, quid factum sit, ubi haec opinio inciderit in alteram illam, animas morientium in aethera elabi. Has duas sententias iam veteres Orphei et Pythagorae sectatores inter se coniunxerunt: sidera sedes sunt mortuorum.[2]) Quam opinionem Romani quoque receperunt. Primus testis est Propertius, qui divum Iulium in Veneris stella collocat IV 6, 59 *at pater Idalio miratur Caesar ab astro.* Prope accedunt Ovidius epist. ex Ponto IV 9, 127 et Germanicus Arat. 558, quorum verba iam supra pag. 132 exscripi.[3]) Accedunt Ov. Met. XV 838 sq. *cum senior Pylios aequaverit annos | aetherias sedes cognataque sidera tanget*, 868 sq. *tarda sit illa dies . . . quo caput Augustum . . . orbe relicto | accedat caelo*. Trist. V 2, 52 *sic ad pacta tibi sidera tardus eas*; Hor. carm. III 3, 9 sqq., I 2, 45 *serus in caelum redeas*; Verg. Georg. I 32 *anne novum tardis sidus te mensibus addas.* Qui omnes Augusto sedem astralem fore vaticinantur. Neque hoc Augusto ingratum fuit, qui stellam galea in divi Iulii memoriam gerebat (Verg. Aen. VIII 680 cum Servii commento). Unde etiam Vergilianum illud intellegitur Aen. IX 641:

macte nova virtute puer: sic itur ad astra.

Imprimis autem Senecae Hercules Oetaeus Stoicorum doctrinas secutus totus in hac religione vivit, qui *astra natus laudibus meruit suis* (v. 97, 13, 31, 1432, 1446, 1565 sqq.), cuiusque verba sunt pulcherrima v. 1960 sqq.:

[1]) Sed fiebat hac opinione, ut homines superstitiosi medio aevo signa quaedam mystica ediscerent, quibus se potestatem in stellas et angelos stellarum adepturos esse sperabant. Fusius de hac scriptura astrali disseruit Ph. Harssdörffer l. l. pag. 278 sq.: quae eadem fere est ac magica veterum scriptura, de qua ultimus egit Rich. Wünsch *Antikes Zaubergerät aus Pergamon* passim.

[2]) Testimonia congessit E. Rohde *der griech. Roman* pag. 208 adn. 2, *Psyche* pag. 423, Drexler *Wochenschrift für klass. Philologie* 1894 pag. 734, W. Roscher *Nachträge zur Selene* (*Jahrb. des Gymn. zu Wurzen* 1895) pag. 12. Ridicula quaedam de Luciferi incolis narrat Lucianus Ver. hist. passim.

[3]) Meminerimus, quae ibi de affinitate sententiarum dixerim: stellae simul et sedes et animae mortuorum sunt.

quid me tenentem regna siderei poli
caeloque tandem redditum, planctu iubes
sentire fatum? parce: nam virtus mihi
in astra et ipsos fecit superos iter.
virtus in astra tendit: in mortem timor.[1])

Similes sententiae etiam in titulis sepulcralibus tam paganis quam christianis inveniuntur. Formulas mihi ex carminibus epigraphicis a Buechelero editis enotavi hasce: *spiritus astra petit, corpus in urna iacet* (epigr. 1392); *vivit et astra tenet* (epigr. 1347 v. 12); *astra fovent animam* (epigr. 1362); *sidereasque colunt sedes mundoque fruuntur* (sc. animae, epigr. 755); *membra solo posuit, caeli perrexit ad astra* (epigr. 778); *mens ad caeli transivit spiritus astra* (epigr. 1834); *bustus membra tenet, mens caeli pergit in astra* (epigr. 1433); *quem inter astra tenet alma quies* (epigr. 1407); *astra tenent animam, caetera tellus habet* (epigr. 1420).

Itaque et mortui ipsi sidereo lumine radiantes cogitantur, ore roseo, umeris nitentibus; corpus maius est terrena figura (CIL VI 3, 21521).[2])

§ 2. De stellis cadentibus

Unaquaque nocte, praecipue autem certis autumni noctibus stellas quasdam observare poteris subito elucentes, caelum celerrime percurrentes, subito evanescentes. Quas apparitiones etiam Romani notaverunt easque *stellas cadentes* appellaverunt (Sen. nat. quaest. VII 23, 2, Isidor. Orig. III 70, 3) vel omisso stellae nomine simpliciter *cadentes* (Amm. Marc. XXV 2, 4: *flagrantissimam facem cadenti similem visam*). Praeterea eas

[1]) Unde in proverbio virtus tandem pervenit *ad astra*. Italorum hodierni carmen quod placuit dicunt pervenisse *alle stelle*.

[2]) Neque defuerunt usque ad nostram aetatem, qui stellas tali modo incolis implerent, vide v. c. Hugenii Cosmotheros, Hagae Comitum 1699; Pohle *Die Sternenwelt und ihre Bewohner, Görres-Gesellschaft zur Pflege der Wissenschaft im kathol. Deutschland* III 1884 pars I et II.

dicit Seneca stellas *transversas* vel *transcurrentes* (Nat. quaest. VII 23, 2 sq.). Apud poetas inveni *sidera cadentia* (Lucan. V 562) et *refixa* (Verg. Aen. V 528, Hor. epod. XVII 5; v. supra pag. 136 adn. 7) aut *volantia* (Verg. Aen. V 528); *stella caelo delapsa* Sen. Phoen. 431.

Quid haec sibi velint attributa primo obtutu apparet. Astra repente a sede avulsa per caeli partem ferri et deinde in terram, ubi extinguuntur (Sen. Nat. quaest. I 1, 9), decidere vulgus opinabatur. Sic iam Lucretius dixit II 209:

non cadere in terram stellas et sidera cernis?

Rerum scriptores stellarum casum saepius describunt: vide praeter locos infra citatos Plin. Nat. hist. XXVIII 49; Isidor. de nat. rer. XXV. Et poetis haec magnifica caelestis apparitio in deliciis est, v. Verg. Georg. I 365; Ovid. Met. II 321; Lucan. V 562; Sen. Phoen. 430. Raro tantum altera opinio occurrit, quae stellas non in terram decidere, sed in ipso caelo sedem mutare [1]) dicat (Verg. Aen. II 696, Sen. Nat. quaest. I 1, 8, VII 23).

Sed etiam causam cur stellae caderent, veteres quaerebant. Cui quaestioni vario modo responderunt. Simpliciores dicebant vento nimio loco moveri ignes caelestes. Hoc usurpavit Vergilius Georg. I 366:

saepe etiam stellas vento impendente videbis
praecipites caelo labi, noctisque per umbram
flammarum longos a tergo albescere tractus.[2])

Quibus adnotavit Servius: *quod autem videmus e caelo stellas quasi labi, ἀπόῤῥοιαι sunt ignis aetherii, quae fiunt, cum vehe-*

[1]) Iocose Aristophanes Pacis comoediae v. 825 sqq. stellas cadentes animas pauperum esse affirmaverat, quae titubantes a cena opulentiorum stellarum domum redirent.

[2]) Vide etiam Lucan. Phars. V 560 sqq.:

Haec fatur solvensque ratem dat carbasa ventis,
ad quorum motus non solum lapsa per altum
aera dispersos traxere cadentia sulcos
sidera, sed summis etiam quae fixa tenentur
astra polis, sunt visa quati.

Et conferas Sen. Phaedr. 739 *stella cum ventis agitata longos porrigit ignes* schol. ad Arati Phaen. v. 927, Maass Arat. comment. rel. pag. 513.

menter ventus altiora conscenderit et trahere exinde aliquas particulas coeperit, quae simulant casum stellarum.[1])

Valebat autem praeterea alia popularis opinio stellas ali nutrimentis quibusdam (vide supra pag. 114), quorum abundantiam dum redderent, stellae cadere viderentur.[2]) Huius sententiae vestigium servavit Plinius Nat. hist. II 29: (*sidera*) *nimio alimento tracti umoris ignea vi abundantiam reddunt, cum decidere creduntur; apud nos quoque id luminibus accensis*[3]) *liquore olei notamus accidere.*

Graecorum philosophia, cum apud Romanos pervulgaretur, tales opiniones impugnavit. Ut dicit Seneca philosophus Nat. quaest. I 1, 8: *illud autem stultissimum est existimare aut stellas decidere aut transilire aut aliquid illis auferri et abradi: nam si hoc fuisset, iam defuissent.* Itaque ipse putat flammas quasdam in inferioribus caeli partibus natas, cum vento impulsae in sublimiora ascenderint, defluere ideoque celeriter rapi (ib. I 14, 5). Et haec allata sufficiant, de reliquis philosophorum placitis — adeo sunt multa — relego te ad Forbigeri *Alte Geographie* I 627.

Restat ut quaeramus quid significare putaverint veteres stellas cadentes. Atque portendi aliquid miri his caelestibus apparitionibus pro certo habebant (Cic. de divin. II 60); vatibus sidera cadentia dant signa (Sen. Tro. 356). Plerumque ventos praedici stellis cadentibus putabant (Plin. Nat. hist. II 100, XVIII 351 sq., Sen. Nat. quaest. I 1, 11):[4]) quae opinio facile explicatur superstitione modo commemorata ventis stellas loco moveri. Praeterea autem id quod iam supra pag. 134 tetigimus, stellae cuiusvis casus mortem hominis significat (Plin.

[1]) Similia leguntur Amm. Marc. XXV 2, 5, Isidor. orig. III 70, 3, schol. Lucan. V 562.

[2]) Ita nonnulli populi e stellis sordes igneas cadere putabant, v. Pottium *etym. Forsch.* I 77, R. Andree *Ethnogr. Parallelen* pag. 111. Germanorum veteres putabant stellas emungi, E. Meyer ad Grimmium l. l. III pag. 210.

[3]) Simrock *Handbuch der deutschen Mythologie* pag. 22: *Das Volk sieht . . die Sternschnuppen für Dochtputzen, die von den Engeln an den Himmelslichtern abgezwickt werden.*

[4]) V. schol. ad Arat. phaen. v. 927 (Maass l. l. pag. 513): *ὅθεν οὖν ἐκπηδῶσιν, ἐκεῖθεν τὸ πνεῦμα δεῖ προσδοκᾶν . . . ὅθεν καὶ ἡ κατὰ τὴν ὁδὸν λευκότης φαίνεται.*

nat. hist. II 28; cf. Artemidor. onirocrit. II 36, V 23).[1]) Denique clavi corporis sanantur, si quis destringat eos stellis cadentibus (Plin. Nat. hist. XXVIII 49): quod per sympathiam fieri veteres credidisse sumpserim: ut stellae cadentes evanescunt, ita cadant et evanescant clavi.

Graecorum aliorumque populorum opinio sidera volantia animas numinum quorundam esse[2]) non nisi perraro apud Romanos invenitur. Et quae apud eorum poetas leguntur, Graecorum exemplis debentur. Sic Vergilius Venerem Aeneae viam per stellam volantem facit ostendentem Aen. II 692, ubi satis curiose addit *et late circum loca sulpure fumant.* Utque hoc loco Veneris ita Ovidio Iunonis nuntius divinus stella volans est, Met. XIV 845 de Hersiliae apotheosi:

> nec mora, Romuleos cum virgine Thaumantea
> ingreditur colles. ibi sidus ab aethere lapsum
> decidit in terras, a cuius lumine flagrans
> Hersiliae crinis cum sidere cessit in auras.[3])

---

§ 3. De stellis crinitis

Stellae illae, quae radiorum splendidam tamquam caudam post se trahunt, iam inde a priscis temporibus singulari suo aspectu hominum animos permoverunt. Nomen eis et Graeci et Romani eodem modo e radiis sequentibus, quos pro crinibus habuerunt, indidere; Romani utrum e suo an e Graecorum ingenio nescio. Apellatio vere Latina est *stella crinita*, qua prosae orationis auctores recentiore aevo uti solent (v. c.

---

[1]) R. Andree l. l. pag. 111 commemorat Berangeri poetae verba *un mortel expire, son étoile tombe à l'instant*; Germanorum carmen affert E. Meyer ad Grimmium l. l. III pag. 211: *Es flogen drei Sterne wohl über den Rhein, einer Wittwe starben drei Töchterlein.*

[2]) Bouché-Leclercq l. l. pag. 362; Drexler l. c.; R. Andree l. l. pag. 112.

[3]) Simili modo Sakuntala tollitur, v. Kalidasa *Sakuntala* ed. Meyer pag. 99; nube lucida aufertur Andreas Martyr, v. Apocalypses apocryphae ed. Tischendorf pag. 162.

Plin. Nat. hist. II 89; Suet. Div. Iul. 88, Nero 36; Vita Antonini Pii 9; Iul. Obsequens 128; Serv. ad Verg. Aen. X 272).[1]) Rariore in usu similis cognominatio est *stella cincinnata* (Cic. de nat. deor. II 14). Saepissime[2]) autem Graecorum vocabulum κομήτης recipiunt, quod apud poetas Senecam Tacitum passim legitur. Nominativus *cometes* audit, rarius *cometa* (Prud. Cat. XII 21). Accusativus varie formatur, aut *cometam* (Octav. 232) aut *cometem* (Calp. Sic. I 78) aut *cometen* (Sen. Nat. quaest. VII 12, 1). Descendit haec vox Graecolatina non solum ad nepotes Romanorum, sed etiam ad Germanos, qui de stellis crinitis praeter alia cognomina[3]) inprimis cometae nomen usurpant.

Quae huius appellationis vis atque origo sit, iam indicavimus. Sed et veteres testes sunt. Dicit enim Plinius Nat. hist. II 89: *cometas Graeci vocant, nostri crinitas, horrentis crine sanguineo et comarum modo in verticem hispidas.*[4]) At dicuntur a Romanis non solum eae stellae cometae, quae ignem in verticem fundunt, sed etiam illae quibus in *morem barbae flamma dependet* et quae *undique circa se velut comam spargunt*, v. Sen. Nat. quaest. VII 11, 2. Inter has singulas apparitiones

---

[1]) Poetarum nomino Val. Flacc. V 369. Plerique vero reiciunt poetae hanc vocem latinam versibus haud aptam atque adamant nomen Graeco-latinum cometa. Unus Ovidius novum fingere audet, cum Met. XV 747 de *stella comante* et 849 de *stella crinem trahente* loquitur.

[2]) Interdum Graecorum λαμπάς retinetur: *lampas* dicitur cometa a Calpurnio Siculo I 81. Aut per nomen *fax* latine redditur (Lucr. II 206; Liv. XLI 21, XLIII 13; Cic. in Cat. III 18). In Octaviae tragoedia cometa numen est facem ferens, v. 232 *pendit infaustam facem.* Atque occurrit *fax* eadem ratione in libris saeculi XVII de cometis adhibita; proferam solum libellum *Fax mira non dira* (1681) inscriptum.

[3]) V. infra adn. 4 et p. 143 adn. 1.

[4]) Veteres iidem veram sententiam de vocis radice proferunt, vide Man. I 835, Isidor. orig. III 70, 16, Corp. glossar. latin. III pag. 132, 54. Qui vero saeculi XVI. et XVII. fuerunt homines, alteram vim vocabulo insitam putaverunt et intellexerunt cometam vel *comitem et socium rerum fatalium* (v. Wilh. Eo Neweheusser *Consideratio et enarratio brevis de nova stella* Friedwegen 1619 pag. 17) vel *comoediam* dicentes *es ist eine Newe Comoedi am Himmel* (v. Dav. Herlicius *Kurtzer Discurs vom Cometen unnd dreyen Sonnen, so am ende des 1619. Jahres erschienen sind*, Sediniae 1619, pag. IFII).

discrimen non factum esse a priscis Latinis elucet e cognomine latino *stella crinita* i. e. comata;[1]) nam cum singulae luces cincinnatae perraro atque post longum tempus appareant, non inter se comparantur a populo atque diversis nominibus ornantur, sed omnes pariter observantur et notantur solum propter crines terribiles, quos effundunt. Philosophorum vero atque mathematicorum erat cometarum genera enumerare atque horum sapientium alii alium numerum secernebant colorem[2]) crinem[3]) formam[4]) cometarum respicientes. Nos has doctrinas omittamus: populares potius persequamur notiones.

Quicumque primus stellam quandam κομήτην appellavit, is mea quidem sententia id non per comparationem fecit, sed quod radios pro veris crinibus habuit. Quodsi stella crinem habebat, etiam caput gerebat, h. e. numen erat homini persimile. Sed ut rarius oriebantur cometae, numen ignotum erat, quod de caelo repente lucebat. Ab ignotis autem semper mala metuunt ignari populi: itaque fiebat, ut primum mala afferri,[5]) deinde mala praedici a cometis putarent.[6]) Quae

[1]) Eadem est Germanorum appellatio: *Strobelstern* (v. H. Gerthius *Pragerische Cometenpredigt*, Freybergk 1619 aliique passim), *Haarstern* (M. S. S. Vierling *Der wackere Stab des Herrn*, Erfurt 1681), *Schweifstern* (J. G. Brand *Vernunfft- und schrifftmässiger Bericht von Cometen*, Marburg 1680).

[2]) Color singularum lampadum memoratur: *rubor sine ulla luce, candor et purum liquidumque lumen, flamma multum circa se volvens fumidi ardoris* (Sen. Nat. quaest. VII 17, 3); praeterea observabantur cometae pallidi hebetiore flamma, candidi, argenteo crine, neque deerant, qui electro fulgore nituerint, v. Plin. Nat. hist. II 89 sqq.; Serv. ad Verg. Aen. X 272.

[3]) Inprimis quaerebant atque notabant, quam in regionem e stella niterent radii, v. Senecam, Plinium, Servium locis modo citatis.

[4]) Speciem ipsam variam produnt scriptores. Seneca haec quattuor genera enumerat (Nat. quaest. I 15, 4): *pogoniae, lampades et cyparissiae et alia omnia quorum ignis in exitu sparsus est.* Quibus addit Plinius *Xiphiam, Disceum, Pitheum, Ceratiam, Hippeum, Typhonem.* Stoici dixerunt esse cometas plus XXX, v. Isidor. orig. III 70, 16, Serv. l. l.

[5]) Hoc apparet ex ingenti illo terrore, quo mortales percutiuntur cometa subito elucente, v. Mart. VII 92, 9 *subito fias ut sidere mutus*, XI 85, 1 *sidere percussast subito tibi, Zoile, lingua.*

[6]) Verg. Aen. X 273 *lugubre rubent*, Plin. II 92 *terrificum magna ex parte sidus atque non leviter piatum*, Claudian. XXXIII 232 *augurium laturus iniquum.*

superstitio nostratibus vel hodie nota Romanis quoque accepta fuit. Astrologos secutus Manilius enumerat, quaecumque per crinitam stellam portendantur, I 892 sqq.:

> Talia significant lucentes saepe cometae:
> funera cum facibus[1]) veniunt terrisque minantur
> ardentis sine fine agros, cum mundus et ipsa
> aegrotet natura suum sortita sepulcrum.
> quin et bella canunt ignes subitosque tumultus,
> et clandestinis surgentia fraudibus arma.

Haec non solum astrologorum sapientia est, sed a populo Romano similes opiniones de cometarum apparitione latas esse satis multis testimoniis demonstratur. Inprimis belli terrores nuntiantur a crinitis, v. Cic. de div. I 23, de nat. deor. II 14; Tib. II 5, 71; Octav. 236. Bella subsequuntur et domestica et externa, semper vero fatalia hominibus, quibus elucent. Sic indicabatur Persis clades apud Salamina accepta (Plin. Nat. hist. II 90). Romanis ipsis praedicebant cometae magnas illas calamitates civili motu Octavio consule adductas (Cic. de nat. deor. II 14), Catilinae coniurationem (Cic. de cons. II 15, FPR pag. 299), Pompei et Caesaris bellum (Plin. Nat. hist. II 92), fatalia arma civilia post Caesaris mortem (Calp. Sic. I 82, Plut. Caes. LXIX 3), trium legionem perniciem Varo duce (Man. I 899), saevum principatum Neronis (Plin. Nat. hist. II 92).[2])

Praeterea autem vulgaris opinio est cometem regi ferre

[1]) Fax caelestis faces terrestes praenuntiat, praeter sepulcralem bellicam et seditiosam, quae incendia provocet. Deest una laeta fax nuptialis.

[2]) Et aliis gentibus cometam summam perniciem attulisse tradunt. Imprimis Iudaeos commemorem, quorum gentis et regni urbisque ipsius vastitatem futuram cometes denuntiabat, v. Ios. de bell. iud, VI § 289 sq. N.; Zonaras VI 24, 302 B. At viguit eadem superstitio per omnia saecula. Sic tradit Beda hist. eccles. gent. Angl. V 23 anno septingentesimo vicesimo nono apparuisse duos cometas circa solem indicantes gravissimam Sarracenorum luem et miseram Galliarum cladem. Cometas vero qui anno MDCXVIII conspiciebantur nuntios magni belli esse interpretati sunt tot scriptores, ut taedeat unum afferre. Sed et ceteri cometae, qui saeculo illo lucebant bella protulerunt, itaque singuli appellantur ab E. Weigel (*Himmels-Zeiger*, Jehna 1681, praefat.) *Nordischer Kriegs-Komet* (1652), *Türcken-Kriegskomet* (1661), *die See-Kriegskometen* (1664 et 1665), *Frantze-Kriegs Comet* (1672).

exitium. Splendidissimus aequalem perditurus est.[1]) Dicit de cometa Tacitus ann. XIV 22: *et sidus cometes effulsit, de quo vulgi opinio est tamquam mutationem regis portendat. Igitur quasi iam depulso Nerone quisnam deligeretur anquirebant.* Talem astrologorum doctrinam idem Nero adiuverat, Tac. ann. XV 47 *sidus cometes sanguine industri semper Neroni expiatum*; similia Suetonius refert, Nero cap. 36. Itaque poetae, ubi magnorum exitus canere incipiunt, ordiri a cometis solent aut sane, ubi cometas commemorant, sceptra per eos mutari asserunt. Subiungam locos gravissimos: Lucan. I 529 *terris mutantem regna cometem*; Stat. Theb. I 708 *quae mutent sceptra cometae*; Sil. Ital. VIII 637 *regnorum eversor rubuit letale cometes.* Exitium afferebat cometa Claudio (Sueton. Claud. 46), Tito (Plin. Nat. hist. II 89), Vespasiano, qui ipse hoc omen moriturus irridebat: tradit enim Aurel. Victor. Epitom. cap. 9: *quippe primo cum crinitum sidus apparuisset, Istud, inquit, ad regem Persarum pertinet, cui capillus effusior.*[2]) Iam non solum regibus sed etiam aliis viris praeclarissimis cometa mortem portendebat velut Agrippae (Dio Cass. XLIV 29, 8). Christiani cometas Neronis temporibus ortos ad mortem Iacobi et Marci Evangelistae referebant, v. testimonia collata a M. C. von der Lage *Himmlischer Buss-Prediger* Weimar 1665 pag. C.[3])

Praeter has graves calamitates famem et pestem populis minantur secundum Isidorum orig. III 70, 10, Servium l. l., tempestates et imbres secundum Senecam Nat. quaest. VII 28, 1 sq., Claudianum XXXII 234. Hae vero tempestatis iniuriae non absolvuntur paucis diebus, sed totus annus cometa viso

[1]) Hoc aliis quoque populis persuasum fuit, v. Shakespearium de Iulio Caesare: *Kometen scheinen nicht, wenn Bettler sterben*; J. Grimm l. l. II 602; J. G. Müller l. l. pag. 364.

[2]) Vide etiam Dio Cass. LXVI 17.

[3]) Saeculi septimidecimi scriptores diligentius multa exempla contulerunt, quibus cometa quasi fax funesta antecedebat regibus aliisque egregiis hominibus morituris. Sic indicabatur exitus vitae stella crinita Carolo Magno, Henrico V imperatori Germaniae, Urbano Pontifici, Benedicto XI Pontifici, Ludovico imperatori Germaniae, Innocentio VI Pontifici, Carolo V, v. Casparum Dauthendey *Idea cometarum nova*, Erfurdt 1618, pag. D sqq., E. Weigel *Specim. uranol.* pag. b sqq., Röslinum l. l. cap. IV.

suspectus est. Quod fecerat cometes, qui Paterculo et Vopisco consulibus apparuit: *fuerunt enim maximae et continuae tempestates ubique* (Sen. Nat. quaest. VII 28, 2). Torrent praeterea crinitae aerem, ut siccitate et segetes pereant et stellae excutiantur (Man. I 894, Avien. II 1814 sqq., Serv. l. l.); motus terrae a cometis effectos tradit Seneca l. l. Mathematici vel eo progrediebantur, ut contenderent serpentes, inundationes, nebulas, pecorum pestes afferri a cometis, v. Servium l. l. Neque mirabimur, quod vel unicuique terrae certas flammas comantes destinaverint atque doctrinam quandam de vario cometarum effectu prodiderint.[1])

Populo vero unaquaeque stella crinita aeque pestifera videtur; et poetae non recurrunt ad mathematicorum subtiles disciplinas, sed versantur solum in describendis cometarum crinibus et ardore. Praeter locos iam laudatos afferam Cic. de cons. II v. 15, PRF pag. 299 (*claro tremuli ardore cometae*), Verg. Georg. I 488 (*diri cometae*, cf. Avien. II 594), Aen. X 273 (*sanguinei cometae*), Calp. Sic. I 81 (*ardenti scintillat*

[1]) v. Serv. l. l.; ut accuratius eventum cuiusque cometae destinarent, etiam observabant lucis genus; sic dicit Plinius Nat. hist. II 92: *referre arbitrantur, in quas partes sese iaculetur aut cuius stellae vires accipiat, quasque similitudines reddat et quibus in locis emicet.* Omnis haec veterum scientia probata est a hominibus superstitiosis XVI. et XVII. saeculi, quibus temporibus permulti cometae ingentem terrorem mortalibus incutiebant. Optime illustrentur illorum timores his Pontani versibus (v. W. Serlin *Cometologia*, Francfurt 1665 pag. 185):

Achterley Unglück in gemein entsteht,
Wenn in der Lufft erscheint ein Comet.
Viel Fieber, Kranckheit, Pestilentz und Tod,
Schwere Zeit, Mangel und gross Hungers-Noth:
Gross Hitz, dürr Zeit und Unfruchtbarkeit.
Krieg, Raub, Brand, Mord, Auffruhr, Neid, Hass und Streit,
Frost, Kält, Sturm, Winter, Wetter, Wassers-Noth.
Viel hoher Leute Untergang und Tod:
Feuers-Noth und Erdbeben an manchem End,
Grosse Veränderung der Regiment.

Praeterea secundum hunc nascuntur bestiae homines devorantes. Apud alios offendimur his opinionibus christianorum propriis: diem supremum cometis nuntiari vel interitum antichristi, quem alii alium dicebant velut papam Turcos eosve, qui fidem sequebantur evangelicam. Atque tot locis occurrunt hae sententiae, ut exempla addere supervacaneum putem.

lumine lampas), Val. Flacc. V 369 (*luciferas crinita faces*), Lucan. I 528 (*crinis timendi sideris*), Sil. Ital. VIII 636 (*crine corusco*), Claudian. carm. min. XXIX 4 (*rubescentes ferali crine cometae*), XXXIII 233 (*sanguineo . . igni prodigiale rubens*), XVI 112 (*tristis cometa*). Quibus omnibus hoc unum addam sanguineos ideo appellari cometas, quod nitore rubescente caedem hominum denuntiant.

De cometarum grave omen ferentium origine diversae occurrunt sententiae. Popularis persuasio mihi videtur fuisse cometas a deis creari et quasi nuntios [1]) mitti, cum plerumque augurium terrificum appellentur. Plinius eos in ipso caelo repente natos dicit Nat. hist. II 89. Ceteras vel philosophorum vel mathematicorum notiones de origine cometarum enumerare nolim, cum eas compositas invenire possis ab A. Bouché-Leclercq l. l. pag. 548sq.

Neque vero omnes cincinnatae calamitatum praenuntiae putabantur, sed semel factum est, ut ipso fato Romanorum superstitiones ad crinitas stellas adnexae augerentur. Paulo enim post C. Iulii Caesaris mortem cometes effulserat. Quem Caesaris necem praedicturum esse dicere non iam poterant, immo alii stellae effectus erant excogitandi. Nam cum haec stella conspiceretur iis ipsis ludis, quibus Augustus Venerem, matrem gentis Iuliae, et Caesarem ipsum, quem pro patre colebat, venerabatur, [2]) ad aliam recurrerunt superstitionem iam saepius (supra pag. 129sqq.) commemoratam animas eximio-

---

[1]) Huic persuasioni fovent praecipue Germani saeculi XVII, qui hunc in modum appellant crinitas: *Zornbote Gottes* (M. G. S. Vierling *Der wackere Stab des Herrn*, Erfurt 1681 passim); *Comet-Prophet und himmlischer Ambassadeur* (M. Z. G. *Geistlicher Betrachtungslust* 1681); *Bussprediger* (von der Lage l. l. passim); *Himmels-Both* (D. Egidius Strauch *Von der Weisen auss Morgen-Lande . . . Wunder Sternen* Dantzig 1681 passim); *Postreuter und Zorniger Bote Gottes* (Th. Majus *Zorn-Ruthe*, Magdeburg 1619 pag. CIII).

[2]) Vide v. c. Iul. Obs. cap. 128, et Sueton. Div. Iul. 88. *in deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium sed et persuasione volgi. Siquidem ludis, quos primos consecrato ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem continuos dies fulsit . . . creditumque est animam esse Caesaris in caelum recepti. Et hac de causa simulacro eius in vertice additur stella.*

rum mortalium inter stellas referri. Varios huius rei habemus testes, quorum gravissimum afferam Plinium, Nat. hist. II 93: *cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae admodum faustus divo Augusto iudicatus ab ipso, qui incipiente eo apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici non multo post obitum patris Caesaris in conlegio ab eo instituto. Namque his verbis in gaudium prodit: iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione caeli quae sub septentrionibus est conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam, quo nomine id insigne simulacro capiti eius, quod mox in foro consecravimus adiectum est.*[1]) Quibus Augusti verbis explicatur nobis, quomodo factum sit, ut opinio illa popularis[2]) adeo augeretur, ut vel poetae in doctis carminibus eam respicerent. Ita Vergilius Caesaris stellam mortalibus salutiferam laudibus extollit, Eclog. IX 47 sqq.:

> ecce Dionaeum processit Caesaris astrum
> astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
> duceret apricis in collibus uva colorem.[3])

Et pluribus verbis Ovidius descripsit Iulii Caesaris sive catasterismum sive apotheosin, Met. XV 839 sqq., ubi Venus diva mater animam morientis secum evehit eamque subito in stellam mutari sentit:

> luna volat altius illa,
> flammiferumque trahens spatioso limite crinem
> stella micat.[4])

Quo autem modo ad Caesaris exemplum plurimi impera-

[1]) Fusior de eadem re est Serv. Ecl. IX 46; vide etiam Aen. VI 790. Imagines nummarias Caesaris stella ornati congessit v. d. Cohen *Monnaies frappées sous la républ. Rom.* I pag. 79.

[2]) Dignites gens quaedam inculta principes in cometas, clientes in vulgares stellas mutari putat; v. J. G. Müller l. l. pag. 256.

[3]) Vide quae de canicula diximus supra pag. 45; et canicula et cometa non semper pestifera sunt numina.

[4]) Valerii Maximi locos huc spectantes ex parte iam supra pag. 132 attulimus; addendum est III 2, 19 (*siderum clarum decus divum Iulium*) et VI 9, 15 (*C. Caesar . . clarissimum mundi sidus*).

tores Romani inter stellas migraverint, supra pag. 132 enarratum est.

Hunc unum bonum cometam laudant Romani,[1]) colorem posteri blandum dixerunt, mathematici faustum id sidus putant quacumque caeli regione appareat. Sic dicit Serv. in Verg. Aen. X 272: *est etiam alter cometes qui vere cometes appellatur, nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus esse dicitur. Qui si orientem attenderit, laetas res ipsi parti significat; si meridiem, Africae aut Aegypto gaudia; si occidentem inspexerit, terra Italia voti sui compos erit. Hic dicitur apparuisse, quo tempore est Augustus sortitus imperium; tunc denique gaudia omnibus gentibus futura sunt nuntiata. Si septemtrionem attenderit, prospera universa significat.* At expressis verbis non traditur hoc C. Iulii Caesaris astrum iterum visum et agnitum esse.[2])

Vix est quod memorem fuisse de cometis et Alexandrinorum fabulas. His Electra Pleiadum soror memoratur vel Orionem fugiens caelo decessisse vel incendia Troiae et interitum gentis suae deflens caput nubibus cinxisse. Sede certa sororum carens nonnumquam conspicitur errare in caelo *diffusamque comas cerni crinisque soluti | monstrari effigiem* dicit Avienus II 593 (vide etiam Serv. ad Aen. X 272).

§ 4. De via lactea

Ultimo loco de albo illo balteo agamus, quem serenis noctibus nos quoque admiramur nomine quod a veteribus

[1]) Praeter Augustum et Mithridatis gloria praedicta atque firmata erat per cometam, v. Iustin. Pomp. Trogi histor. Philipp. epit. XXXVII 2: *et eo quo genitus est anno et eo quo regnare primum coepit stella cometes per utrumque tempus septuagenis diebus ita luxit, ut caelum omne conflagrare videretur. Nam et magnitudine sui quartam partem caeli occupaverat et fulgore sui solis nitorem vicerat; et cum oreretur occideretque, quatuor horarum spatium consumebat.*

[2]) Unus Claudianus semel ad hanc opinionem alludere videtur, cum quaerat de stella subito in die elucente VIII 189, utrum parens fuerit Augusta an divi avi sidus.

recepimus appellantes. Quem utrum Romani ipsi observaverint et nominaverint, an a Graecis didicerint, ut in reliquis incertum est. Nam graeca vox γαλαξίας Latinis in usu est (Macr. Somn. Scip. I 4, 5. I 9, 10; Mart. Cap. II 208, VIII 834), quam etiam in *galaxius* (Mart. Cap. II 208) vel *galaxeus* (ib. VIII 826) mutaverunt.[1]) Saepius vero ad litteram vertentes *lacteum* illum vocant (Macr. Somn. Scip. 12, 3, 5, 13 al.); plerumque autem addito nomine dicunt *viam lacteam* (v. c. Ov. Met. I 168). Atque ut statim officio enumerandorum nominum perfungamur, synonyma pro *via* ponuntur: *axis* (Dracont. carm. prof. V 325, PLM V pag. 150), *circulus* (Cic. de rep. VI 16; Hygin. astron. II 43 pag. 80 B; Plin. Nat. hist. II 91, XVIII 280; Claudian. XXVIII 174; Macr. Somn. Scip. I 15, 1; Dracont. l. l. v. 326), *circus* (Cic. Arat. 249), *flumen* (Mart. Cap. II 207), *limes* (Man. I 711, 714), *orbis* (Cic. de rep. VI 16, Arat. 286; Germ. Arat. 458; Man. I 753), *plaga* (Stat. Theb. I 25, Silv. I 2, 51; Macr. Sat. I 23, 2), *semita* (Auson. II 3, 38; Claudian. XXXIII 231; Paulin. Nolan. ep. V 39). Etiam adiectivum variant epitheta adhibentes a splendore petita: *astriger* (Anth. lat. II epigr. 740, 4), *candidus* (Man. I 711; Plin. Nat. hist. II 91), *magnus candens* (Cic. Arat. 249), *lucidus* (Stat. Theb. I 25) vel *elucens* (Cic. de rep. VI 16). Semel cum longe absit a mortalium oculis appellatur *circulus ultimus* (Ov. Met. II 516); sola per se stat *plaga usta* (Macr. Sat. I 23, 2), de qua appellatione infra erit dicendum.

Explicare conantibus opiniones de via lactea pervulgatas in solis fere appellationibus sive vere Romanis sive a Graecis desumptis nitendum est. Atque lacteum nomen a colore ductum esse nemo non videt. Quod ipsi veteres testantur, v. c. Germanicus Arat. 457: *lactis ei color et mediis via lucet in umbris*; Isidorus orig. III 45, 11 *lacteus circulus via est . . . a candore dicta, quia alba est*; schol. Germ. pag. 104, 2 B: *lacteus orbis, quod albis nubibus denotetur circuitus eius.* Quorum Germanicum graecum auctorem, nempe Aratum, secutum esse in propatulo est. Et Graecos fabulas quasdam reperisse, quibus

[1]) Semel inveni dictum *Gala* apud Anon. II in Arato latino cum scholiis, E. Maass Comment. in Arat. rell. pag. 276, 15. Ibidem dicitur *Galaxia circulus* v. 17.

huius appellationis originem explicarent, nemo ignoret. Quas Romanorum repetiit Hyginus astron. II 43 pag. 80 B.

Transeamus ab adiectivo nomine ad substantivum. Lactis copiam ut flumen esse putarent proximum erat. Quod Martianus Capella fecit (II 207). Huius opinionis aliis populis acceptissimae [1]) hic illic dispersa vestigia apud Romanos occurrunt. Dicit enim Plinius Nat. hist. XVIII 280 sq.: *huius defluvio velut ex ubere aliquo sata cuncta lactescunt . . . si purus atque mitis aer genitalem illum lacteumque sucum transmiserit in terras, laeta adolescunt sata; si luna . . . roscidum frigus adsperserit, admixta amaritudo ut in lacte puerperium necat.* Alludit ad hanc opinionem Martianus Capella II 207: *quippe quidam candores lactei fluminis tractu stellis efflammantibus defluebant.* Poetarum autem Claudianus XXVIII 173 canit:

Cycnique sodalis
lacteus extentas adspergit circulus alas.

Reliquorum nominum, quae modo in pag. 150 contulimus, *axem* et *plagam* ut poetarum licentias vel mathematicorum enuntiata nihil moror. Neglecta materia a forma oculis conspicua originem traxerunt *orbis circus circulus.* Quibus addam Ciceronis verba de rep. VI 16: *erat autem is splendidissimo candore inter flammas circulus elucens, quem vos, ut a Graiis accepistis, orbem lacteum nuncupatis.* Utuntur his vocabulis imprimis doctiores, quibus caelum erat in complures circulos divisum (Macr. Somn. Scip. I 14, 24, I 15, 1 seq.).

Plerumque autem dicitur *via*, a poetis *semita*, ut re vera tamquam via in campo caelesti delineatur. Neque tamen sibi constant narrantes, quis hac via utatur. Isidorus l. l. opinionem quandam fortasse popularem tradit: *quam alii dicunt viam esse qua circuit sol, et ex huius splendoris ipsius transitu ita lucere.* Putabant igitur iter, quod sol interdiu conficit, noctu quoque lucere. Sed cum haec opinio non quadraret cum vero solis cursu, iam veteres Graeci commenti erant viam lacteam priscum solis iter fuisse, quod mutasset, cum Thyestis scelera vidisset (Achill. Tat. Isagoge in phaenom. XXIV ed. Petavius Antverp. 1705 pag. 86). Aut Phaetontem hac via

[1]) Forbiger *Mathem. Geogr.* 506, Ratzel *Völkerkunde* II 88.

perperam Solis equos direxisse narrabant (Man. I 724)[1]): incendio tum orto explicatur dictio *plaga usta* supra pag. 150 commemorata.

Praeter has opiniones, quae viam lacteam pro itinere solari accipiunt, alia extitit sententia, quae de via deorum cogitabat. Hanc explanat Ovidius Met. I 168 sqq.:

> Est via sublimis, caelo manifesta sereno,
> lactea nomen habet, candore notabilis ipso.
> Hac iter est superis ad magni tecta Tonantis[2])
> regalemque domum. Dextra laevaque deorum
> atria nobilium valvis celebrantur apertis.

Ut Ovidium Graecorum fere ubique exemplis niti scimus, hoc quoque loco Graecam doctrinam eum sapere coniciemus. Ovidium secutus esse videtur Martianus Capella I 97, qui deorum concilium in galaxia collocat, ubi in lacteis sellis dii considunt (209). Eodem spectat Claudianus XXXIII 231: *divino semita gressu claruit.*

Neque deerant, qui hanc opinionem latius excolerent. Ut via lactea terram tangere videtur, numina ea progredientes aut a terra in caelum aut e caelo in terram ire poterant. Iam accedebat altera illa opinio, quam supra pag. 131 commemoravimus, animas magnorum hominum et ante et post vitam mortalem in caelo cum dis aevum agere. Iam intellegitur qua re adductus Macrobius dixerit in Somnio Scipionis I 12, 1. 2: *descensus vero ipsius, quo anima de caelo in huius vitae inferna delabitur, sic ordo digeritur: zodiacum ita lacteus circulus obliquae circumflexionis occursu ambiendo complectitur, ut eum, qua duo tropica signa Capricornus et Cancer feruntur, intersecet. Has solis portas physici vocaverunt. . . . Per has portas animae de caelo in terras meare et de terris in caelum remeare creduntur. Ideo hominum una, altera deorum vocatur. Hominum cancer, quia per hunc in inferiora descensus est, Capricornus deorum, quia per illum ani-*

[1]) Vide etiam Ps. Plut. plac. philos. III 1.

[2]) Viguit haec persuasio apud plerasque nationes: apud Indos (A. Kuhn *Zeitschrift für vergl. Sprachforschung* II 316) et Hungaros (Kohlbach *Arch. für Relig. Wissensch.* II 1899 pag. 343) et alios (Frobenius *Weltanschauung der Naturvölker* pag. 917; Tylor l. l. I pag. 353; Pictet *Origines indo-européennes* II 582; Drexler l. l. pag. 733).

mae in propriae immortalitatis sedem et in deorum numerum revertuntur.

Nititur igitur haec docta Macrobii expositio religione quadam populari apud plerasque nationes reperta:[1]) viam lacteam viam animarum mortalium esse. Hanc praeter illum alii quoque recepere, v. c. Manilius I 758. Exscribere lubet versus Paulini Nolani ep. V 37 sqq.:

pande viam, qua me post vincula corporis aegri
in sublime ferat, puri qua lactea caeli
semita ventosae superat vaga nubila lunae,
qua proceres abiere pii quaque integer olim
raptus quadriiugo penetrat super aera curru
Elias et solido cum corpore praevius Enoch.

Et similiter dicitur in carmine latino epigraphico 740 Buecheleri: *astrigeram scandit alma viam,* et a Dracontio carm. profan. V 325: *scandens qua lacteus axis | vertitur, aetherii qua candet circulus orbis.*

Similis quaedam opinio cum omnes stellas pro sede mortuorum habebat (vide supra pag. 137) tum viam lacteam. Hanc Pythagorei e populo receperunt,[2]) Pythagoreosque Romani quoque sunt secuti. In galaxia heroes habitabant secundum Ciceronem de rep. VI 15 et eius commentatorem Macrobium I 12, quibus Manilius accedit I 758 sqq.; neque huic opinioni deest testimonium in titulo servatum, carm. lat. epigr. 1438, 17:

sede beatorum recipit te lacteus orbis.[3])

Praeter has sententias religiosas superstitiosas mysticas, quarum plerasque Graeci populares invenerunt, Romani receperunt, poetae et philosophi utrorumque auxerunt, et vera

[1]) Frobenius l. l. pag. 317; A. Kuhn l. l. pag. 239, 311; Kohlbach l. l. pag. 343; Drexler l. l.; *Zeitschrift für Mythol. und Sittenkunde* I pag. 162 sqq.

[2]) v. E. Rohde *Psyche*[3] pag. 95, 213 adn. 2. — Composuerunt Pythagorei lactis alimonium, quod primum mortalibus offertur, cum orbe lacteo atque offerri id contenderunt, *quia primus eis* (sc. *animis*) *motus a lacteo incipit in corpora terrena labentibus,* v. Macrob. l. l.

[3]) Easdem aliorum populorum cogitationes collegerunt Forbiger *Math Geogr.* pag. 506; J. Grimm l. l. III 106; J. G. Müller *Amerikan. Urreligion* pag. 54 et 254; Drexler l. l. pag. 732.

Graecorum sapientia, quid esset via lactea, quaesivit. Varia ut inter sapientes responsa data sunt, quae ut a nostro scopo aliena omitto; invenies dicta sapientium collecta a Plutarcho personato in placitis philosophorum III 1 et a Macrobio in commentario in Somnium Scipionis priore I 15,[1]) poetarum a Manilio I 750 sqq.[2])

Conclusio

Postquam disputationem ad finem perduxi, breviter colligere atque repetere liceat, quae de Romanorum opinionibus, quales ad stellas pertinent, statui posse videntur.

Si a nominibus stellarum initium considerandi facimus, primum quae a Graecis desumpta sunt (Orionem Arcturum sim. dico), secernamus necesse est. Quibus reiectis paucae tantum appellationes remanent, quae vere Romanae sunt. Etiam de harum nonnullis dubitare datur, utrum a Romanis inventae an e Graeco conversae sint: quarum in numero *plaustrum* est (v. supra p. 77). Certa Romanorum inventa esse iudico singularum stellarum *vesperum iubar caniculam*, siderum *septentriones iugulas vergilias suculas*. Ex his secundum claritatem appellatae videntur *vesper* et *iubar*, quibus accedunt e communibus notionibus *stella* et *sidus*, reliqua nomen ex animalibus vel rebus terrestribus duxerunt: *septem triones canicula sucula, plaustrum iugulae vergiliae*. Quorum *triones* et *sucula* tum demum inveniri poterant, cum Latini agrum colere et pecorum greges alere didicerunt; *plaustrum* cum *iugulis* et *canicula* iam rudibus populis vagantibus deditisque venationi nota erant. Sed et haec fortasse ab agricolis demum reperta sunt, quorum imprimis intererat anni et diei tempora certis quibusdam signis discernere. Illis certe *iubar* diei, *vesper* noctis initium indicabat, *suculis* vernum, *canicula* aestivum, *iugulis* hibernum tempus significabatur, ad *vergilias* singula agri colendi momenta digerebant; ad *septentriones* praeterea iter dirigebant. Ab agricolis alii, qui et ipsi siderum notione egebant, stellarum nomina didi-

[1]) Astrologicam congessit scientiam Manilius I 723 sqq.

[2]) v. Möller *stud. Manil.* pag. 19 sq.

cerunt: nautae et milites. Quaeritur, an praeter eas quas modo enumeravimus alias appellationes hodie deperditas rustici Latini in usu habuerint. Quod praefracte negari nequit: facile enim talia Graecorum nominibus reprimebantur, ut in *iugulis* vidimus, postea ubique fere *Orion* appellatis. Imprimis poetas Graecorum vocabula affectasse vidimus, cum nomina vere Romana oratione soluta servarentur. Neque tamen ita, ut philosophis et grammaticis eorum originatio perlucida esset. Quae saepius ita ad oblivionem redacta est, ut doctioribus in explicando valde fuerit desudandum.

Hoc quoque ex iis, quae supra allata sunt, discimus: nequaquam eodem modo omnes stellas appellatas esse a Romanis. Aut enim singuli ignes sunt, ut *vesper*, aut maiores constellationes, ut *vergiliae*. Interdum etiam statuere possumus, illud prius, hoc posterius fuisse, ut *canicula* et *suculae* initio unam, deinde plures stellas significasse videntur. Quid inter utramque significandi rationem interfuerit, explicare mihi liceat Jacobi Grimm verbis l. l. p. 609, qui de singulis stellis dicit *Im einzelnen Stern wird ein ganzer Mensch* (a Romanis res vel animal) *ersehen, ohne Rücksicht auf eigentümliche Gestalt, welche in der Ferne ohnehin verschwindet.* Et de sideribus: *Die Sterne geben den Grund, gleichsam die Knochen her, um welche die volle, von der Einbildungskraft erschaute Figur gezogen wird.*

Ubi veteres Romani haec corpora caelestia appellaverant, aut e luce candida aut similitudine terrestrium rerum, plerumque satis habebant, neque plures opiniones addiderunt. Nisi forte per anthropomorphismum quem vocamus haec corpora humanis similia putaverunt, animis praedita, quibus in caelo aut eundo aut vehendo moventur, quae humano more oriuntur et occidunt. Alii autem flammas caelestes conspexerunt, quae suo tempore accenduntur et extinguuntur. Sed utut hoc se habebat, constabat tamen, anni tempora et tempestates, quae post stellarum ortum occasumve nascebantur, propter illum fieri, h. e. a stellis frigus et calorem, serenitatem et nubes dari et negari. Quod aliter se habere postea demum intellectum est.

At ex hac opinione stellas tempestatum dominas esse facile alia sequebantur: stellas omnino divina potestate esse praeditas, esse in deorum numero habendas colendasque. Hoc apud Roma-

nos in una sola stella pervaluit, in canicula, potentissima caloris domina, quam vel victimis placare studuerunt. Neque tamen eo progressi sunt, ut omnes stellas deorum loco haberent, aut fabulas mythicas de eis narrarent. Quod tum demum factum est, cum Graecorum catasterismi notiores fierent. Qui et poetis materiam uberrimam suppeditaverunt et imperatorum consecrationem occupaverunt. Et de stellis humana fata regentibus postea denique intensius cogitarunt, cum Chaldaeorum astrologia irrueret. Omnibus his superstitionibus in unum concretis supervenit Christianorum doctrina, quae plurima reiecit, nonnulla remanere passa est. Ita pleraeque opiniones a Romanis de stellis cultae paulatim interierunt, et una cum opinionibus vera illa et antiqua nomina.

Quodsi ex his quae modo contulimus fructum dissertationis huius exiguum putes, quippe quae neque multa neque nova edicat, non mirer. Sed tamen in singulis quae supra fusius disputata sunt, nonnulla fortasse insunt haud omnino reicienda. Et quod in ea parte, quae est de religionibus, non multas fuisse statuimus superstitiones, etiam hoc aliquid esse putes, cum religionem astrorum apud Romanos non fuisse statuatur.[1]) Sed hoc erui non potuit, nisi cum de nominibus quoque stellarum quaereretur, ut omnino philologis a nomine ad rem patet aditus. Haec omnia reputans inscripsi opusculum meum de stellarum appellatione et religione Romana.

[1]) Haec sententia etiam eis viris accepta fuit, a quibus haec conamina ad religionem spectantia eduntur; neque enim alias dissertationem meam recepturi fuissent. Quorum imprimis Ricardo Wuensch gratias ago debitas, qui opusculi mei fautor indefessus extitit; qui multis locis et ubi non nominatur sua mecum communicavit et in aerumnoso labore plagulas corrigendi benigne me adiuvit.

Addenda

Pag. 51 adn. 1. Pro *ubi* legas *unde*.

Pag. 52. Saeculo XVII appellatur Bootes *Hamaxophylax*, *custos curruum Schirrmeister*, v. E. Schmidt *Prodromus coniunctionis magnae*, Wittemberg 1619; nonnumquam dicitur *Vociferans*, quod nomen fortasse eo explicatur, quod in eo radicem *βοαω* latere putabant, v. Fr. Wendler *Methodus Cometae practicae*, Görlitz 1619 pag. B III; idem appellat eum *Lancearium*, *Plorantem*.

Pag. 54 v. 29. Pro *quo* legas *quibus*.

Pag. 88. Nomen *Incolo* nusquam explicatum inveni. Fortasse ansa quaedam nobis datur his J. Bartschii verbis, quae l. l. pag. 81 leguntur, licet hic non de Orione, sed de Boote loquatur: *in dextra baculus, qui quod olim esset in Coluro, Arabibus Inkalurus: aliis clava, κλαῦρον, κολόβουρος, Colorrobus*. Unde coniciam *Incolo* non esse Latinum verbum, sed Arabicum, quod scholiastae illi receperunt.

Pag. 114 v. 15. Stellarum alimenta dicuntur non solum vapores terrestres, sed imprimis aquarum halitus. Cic. de nat. deor. III 37: *ali autem solem, lunam, reliqua astra aquis, alia dulcibus, alia marinis*. Plin. Nat. hist. II 223: *sed in dulcibus aquis lunae alimentum esse, sicut in marinis solis*. Alia testimonia leguntur collata ab A. Bouché-Leclercq l. l.

Pag. 132. De catasterismi ratione alii aliam produnt opinionem. Alii enim dicunt corpus mortale, sicut est, ad sidera tolli mortuumque eodem corpore versari inter stellas quo erat in terris. Huc refero quae Germanicus de Augusto (cf. Suet. Aug. 100) et Valerius Flaccus de Vespasiano proferunt. Eadem sententia elucet ex aliorum poetarum enuntiatis: *an sub occasu tepido nitebis* (sc. Hercules, Sen. Herc. Oet. 1567); *tu comes ibis Phoebo, comes ibis astris* (item Hercules Sen. Herc. Oet. 1581); *siderei iuxta radiabunt tempora nati* (Sil. Ital. III 629); *nec plura locutus, | sicut erat, liquido signavit tramite nubes* (Claudian. VII 162); *aspice nunc, quacunque micas* (Claudian. VIII 428). Alii cogitant corpus non idem sed maius factum et splendore circumfusum remanere, id quod omnino consecratis hominibus accidit, v. c. Romulo divo (Plut. Caes. XXVIII; Flor. epit. I 1, 17; Zonar. VII 4, 320 B.). Illustratur haec opinio versibus carminis sepulcralis saepius citati (CIL VI 21521 v. 9sqq.): *vidi sidereo radiantem lumine formam | aethere delabi . . . verus iuveni color et sonus, at status ipse | maior erat nota corporis effigie*. E tertia denique opinione corpus non tollitur sed funditus deletur, anima vero stella facta ad superos evolat. Hunc in modum facit Ovidius Iovem dicentem (Met. XV 840): *hanc animam* (sc. Caesaris) . . *fac iubar*, Venus vero fingitur ab eodem poeta in terras descendens Caesarisque animam membris eripiens: *dumque tulit lucem capere atque ignescere sensit*.

Pag. 138. Id quoque veteres quaesiverunt, quisnam stellis nomina indidisset. Fuisse qui deos auctores nominarent apparet ex Plinio Nat. hist. II 19. Plerique autem recte homines arguebant et inter eos, cum ipsi Romani vulgo pro artium imperitis cederent (Ov. Fast. III 111 al.), Graecos (Verg. Georg. I 137, Sen. Nat. quaest. VII 25). Graeci ipsi quid senserint (Cic. Arat. 160) attulisse hoc loco parum refert, nisi quod hi quoque de caelesti quadam nomenclatura cogitarunt, si revera Graecum fontem sapit Arcturi illud (Plaut. Rud. 5): *hic atque in caelo nomen Arctus est mihi*. Quem versum varie interpretati sunt, v. Dziatzkonem Mus. Rhen. XXIV 580, Marxium Ind. lect. Gryph. 1892 p. 5. Christiani vero Psalmi CXLIV 7 verba sequuntur. Quare eorum nonnulli pagana stellarum nomina, quippe quae a deo data non essent, acerbe impugnaverunt, v. Philastr. div. haer. c. CIII, F. Piper l. c. I p. 279sq. Horum impetu factum videtur, ut stellarum vetusta cum nomina tum superstitiones paulatim evanescerent.

Index rerum potiorum

Aestivum sidus (canis) pag. 39
alatus lucifer 29
alimentum stellarum 114, 146, 158
ἄμαξα, amaxa 65
Angeli compellunt stellas 136
sunt stellae 122, 4
animae mortuorum (stellae) 129; 131, 4
animus imperatoris ex sideribus demissus 131
anthropomorphismus in stellis obvius 112
antifer 12
Antinoi consecratio 131
ἀπόῤῥοιαι stellarum 115; 139
Arcadis fabula 55
arcera 57, 1; 65
Arctophilax, Arctofylax 50, 2
Arctophylax 50 seqq.
opiniones 52
arctos 68, 73 seqq.
maior, minor, maxima 69
Arcturus 48 seqq.
Plauti prologus 111
septentriones 69, 3
Astarte luciferi dea 21
aster 109
Aster cognomen humanum 113
astrum 109
Atlanteae, Atlantides 99
Atlantis filiae 99
Augusti consecratio 131
axis (currus) 68

Bootes 50 seqq.
Bosphorus 19
butrio 93

Caesaris consecratio 148
stella 147
Caligula sidus dictus 133
Callisto (septentriones) 75
fabulae 78
canarium sacrificium pag. 41
caprae sidus 58
canicula stella non sidus 33
nomen 34 seqq.
caniculae plur. 36
caniculae damna 45
canis 31 seqq.
causa nominis 42
Cephali 46
epitheta 39
Erigones 46
opiniones 39
Orionis 46
canum feminarum furor 42
capricornus navium cognomen 19, 1
caput Veneris 29
solis 113, 4
carrus (septentriones) 65
Castor (lucifer) 27
Catularia porta 44
Cephali canis 46
Chaldaei de Boote 57
cane 40, 46
errantibus 4
Hyadibus 107
lucifero 32
Orione 90
Pleiadibus 100
septentrionibus 81
chorus stellarum 119
cingulum Orionis 89
clipeus caeli 120
cometa 142 seqq.
mala nuntiat et affert 144
crinis stellarum 114
curriculum luciferi 28
currus (septentriones) 66
custos Arcti, Arcturi al. (Bootes) 52
custos (Arcturus) 52
Cytherea (Venus) 23

Daemones canum specie versantes cogitantur pag. 41
desultores lucifero equos vovent 32
dii (sidera) 128
Dionaei Caesaris astrum 23

Electra Pleias (cometa) 149
Elisa (Arcturus) 49, 2
ensis (Orion) 88
Eous 19
ἑπτάστερος 95
equi stellarum 119
equus luciferi 28
Erigones canis 46
Esper cognomen humanum 8
eunt stellae 118

Ferae (septentriones) 69

Galaxias 149

Haedi 58
Helice 70 seqq.
fabulae 74
Hesper cognomen humanum 8
Hesperius adiectivum 17
Hesperus 8 seqq.
facem gerens 27
Hyades 104 seqq.
Hyas heros 104
sidus 104

Iafor 14
Ianus (lucifer annorum) 30
Icarius (Bootes) 55
Idalium astrum 23, 137
Incolo (Orion) 88, 158
Isidis stella 22
Isis stella canina 39
iuba (hominum coma) 14
iubar 14 seqq.
iugulae 83 seqq.
iugum (septentriones) 68
Iunonis stella 22
Iupiter regnat in stellas 122
Iuvar 16

Lactea via pag. 150
lacteus sucus defluit de galaxia 151
lavatio stellarum 115
luna regina siderum 121
lucifer 18 seqq.
alatus 29
Christianorum Satanas 33
cognomen humanum 19
cum hominibus comparatur 26
opiniones 24
Lucifera mulier 19

Maera (canis) 38, 1
magi deripiunt sidera 125
Maia (Pleias) 100
Maiades (Pleiades) 100
Martis stella (Vesper) 23, 1
massa (Pleiades) 93
Matris deum stella 22
mel defluit Sirio exoriente 45
de sideribus 115
motus stellarum 112, 117

Nero inter astra relatus 133
Niliacae inundationes 46
Nimrodus (Arcturus) 49, 2
Noctifer 13
Nocturnus 13
Nodus 58

Oculi stellarum 113
Odrysii triones 60
Oeta mons 27, 2; 30, 1
Orion 87 seqq.
Oriones 88
Orionis cingulum 89
ensis 88

Pales dea 105
Paphiae lampades 23
Parilicium sidus 104
Parrhasides stellae 74
Parrhasii triones 59
Πελειάς 93; 94, 3

Philomelus (Bootes) pag. 56
Phosphor cognomen humanum 19
Phosphorus 19 seqq.
plaustri custos 52
figura 71
plaustrum 65
Pleias 93, 95 seqq.
Pleiades 93
Pleione 95
Plias, Pliades 94, 95

Rabiosum signum 39
Robiginis sacrificium 44
rorant astra 115
ros gignitur vespero 25
roscidus lucifer 25

Sarracum 66
senior, senex (Bootes) 56, 1
septem stellae 71
septentrio minor, maior 60
septentrio regio 77
ventus 76
septentriones 59 seqq.
epitheta 75 seqq.
inoccidui 78
noctis partes indicant 80
nubibus aluntur 79
opinio 61
septistellium 95
sidus 109 seqq.
tamquam homo vivit et videt 111
Sirius 38 seqq.
opiniones 40
stella 108 seqq.
cognomen humanum 113
corpore praedita 114
hominibus similis 113
stellae dei sunt 127
aluntur 114, 146, 158
animae mortuorum 137
cadentes 138
caelo adfixae 135
conspiciuntur magnis hominibus natis pag. 135
crinitae 141
flammeae 135
hominibus attributae 134
indicant mortem 140
mala portendunt 143
sedes mortuorum 137
Sterope (Pleias) 100
Stoicorum opinio de sideribus 127
subuculae 103
suculae 101 seqq.
opiniones 105

Taurus navium cognomen 19, 1
Taygete Pleias 100
temo 66 seqq.
Theodosii stella 133
Trio bos 63
cognomen humanum 61
Triones 59, 60

Ursa (septentriones) 68

Veneris stellae nomina 7
opiniones 24
Vergiliae 92 seqq.
opiniones 96
Vespasianus 133
Vesper 7 seqq.
Vesper Marti adsignatus 23
cognomen humanum 11
Vesperi plur. 12
Vesperugo 8 seqq.
via lactea 149 seqq.
flumen 150
iter deorum 152
solare 151
sedes animarum 152
via animarum 153
vindemiator 58

Zodiaci signa 3

CIRCULATION DEPARTMENT

BL 25 R37
Bd.2
Heft 3

Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten

CIRCULATE AS MONOGRAPH

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY